portu perditurus, onerariam ſarmentis, & ſulphureo pul- A vere refertam, cum triginta fortiſſimis viris (quos magnis pollicitationibus ad id facinus audendum compulit) vento, & fluctibus ſecundis in portum immiſit: violentiſſ. illa ventorum ſpiritu catenæ, valloque impacta, nihil obſtitit, quo minus ſtupentibus novitate rei hoſtibus ad internas naves pervenerit. Hic dum eam ſubita trepidatione Ligur, & alii circumſiſtunt, qui intus erant, materia repentè in cenſa in actuariam (quam ad hunc uſum eò pertraxerant) deſiliunt: remiſque fortiter innixi, ad ſuos incolumes evaſere. Interim verò vehemens flamma, quæ ſubitò ex Veneta emicuit, proximas naves corripuerat: neque ulla ope improviſæ cladi occurri potuit. Abſumptæ itaque incendio antè oculos civitatis, præter cæteras ingentes, aliæ multæ, quæ tùm in portu naves fuere: multi quoque mortales ſubito igne abſumpti, qui ſive opem navibus ferre auſi ſint, ſive aliis operibus intentis eſſent, improviſam declinare flammam non potuerunt. *Sab. lib. 7. Dec. 3.*

A Syfrido Saxonum Duce, & Toſtone Jutienſium tyranno terreſtri prælio ſuperatus Hadingus Danorum Rex, cùm victoris claſſem inter fugiendum repertam perfoſſis lateribus navigationi inutilem reddidiſſet, ſcapham in altum direxit. B Quem Toſto occidiſſe ratus, cùm diù inter necatorum cadavera quæſitum reperire non poſſet: ad claſſem regreſſus, animadvertit eminùs myoparonem mediis maris æſtibus fluctuantem. Quem cùm adductis in altum navigiis perſequi ſtatuiſſet: naufragio facto ægrè littus repetiit: conſcenſiſque aliis inſequi perrexit. Hadingus occupari ſe videns, percontari comitem cœpit, An nandi uſum calleret, neganteque eo, fugæ diffidentia ſpontè everſi navigii concavas partes amplexus, mortis fidem inſequentibus fecit. Securum deinde Toſtonem inopinatumque, & ſpoliorum reliquiis avidiùs incubantem adortus, in fugam egit. *Saxo lib. 1.*

Frotho Danorum Rex in Trannonem Rutenæ gentis tyrannum movens, hoſtiles naves terebro perforavit, clavis ligneis foramina obturavit. At ubi foraminum copiam mergendæ claſſi ſufficere credidit: demptis obſtaculis, promptum aquis aditum patefecit, hoſtilemque claſſem invaſit, & ancipiti periculo; hinc aqua, illinc ferro confecit. *Saxon. lib. 2.*

Norvegiani, & Sueones cum Canuto Danorum, & Anglorum Rege bellum gerebant. Vlpho Sueonum Dux accinxit ſe cum CD. navibus ad prælium navale, in oſtio C Helgæ fluminis, non longè à Calmarnia. Et cùm præſentiret Danicarum navium adventum, aggerem prævalidum aquarum curſui obiiciens, eas prorſus à ſoluto impetu cohibuit, donec ſubeunte vi fluminis oſtium Danica claſſe, eaſdem rurſus rupto aggere relaxaret, ſimulque rates vario ignium fomento accenſas dimitteret. Quo evenit, ut ferè tota Danorum claſſis, præter duas naves, quæ Drocanes vocabantur, aqua & flamma penitùs ſubmerſæ ſint. *Jo. Magnus lib. 18. cap. 3.*

Contra Oddonem piratam Danum, cùm Ericus Sveciæ, & Rollerus, qui Norvegiæ Rex poſteà fuit, fratres bellum gererent, & viderent, periculo eſſe pugnam cum eo conſerere, qui ventos arte magica commoveret, & undas, per exploratores inſtructi, quo modo Oddo naves ſuas lapidibus ad jaciendum aptis oneraſſet: miſſis clàm juvenibus, earum tabulas aquis vicinas, ſub medio noctis ſilentio, terebro perforari fecerunt. Sic paulatim Oddonis claſſem exceptæ rimatim aquæ depreſſerunt nullo ſuperſtite, D qui acceptam cladem nunciaret, *Jo. Magnus lib. 4. cap. 19. ex Saxon. lib. 5.*

Ericus Norvegus, Frothonis Danorum Regis inſidias metuens, noctu cum Gunuare ſponſa, regis ſorore, fugiens, claſſem regiam, diffiſſa laterum parte, navigationi inhabilem reddidit, inſertiſque rurſum aſſerculis ſarſit, quò minùs ab intuentibus læſio noſceretur. Deinde navigium, quo ſe, comiteſque receperat, haud procul è litore depelli curat. Quem rex laceratis inſequi navibus parans, mox fluctu foros æquante, quanquam armis admodum onuſtus exiſteret, enatare inter alios cœpit. Præcipitatis in altum proris, ſedibus ſuis remiges ſtagnans introrſum æſtus excuſſit. Quo Rollerus, Ericuſque fratres conſpecto, natabundi fluctuantem excepere regem. Jamque eum ſuperfuſa ter unda ſubruerat, cùm Ericus cæſariæ comprehenſum eripuit. Cætera naufragorum turba, aut aquis obrupta, aut ægrè litori reſtituta eſt. *Saxon. lib. 6.*

Lubecenſes cum orientalibus urbibus contra Danum bellum gerebant, circa an. Sal. 1422. Rex Hollandinorum magnas naves, quæ ad anchoram ſtabant in portubus regni armare conſtituerat, & civitatem claſſi opponere. Prævenientes E Germani, anchoris, velis, & funalibus eas naves privavere, ut inutiles regi eſſent, *Crantz. lib. 10. Vand. 38.*

Occupata Clodia, imminebant Venetis Genuenſes, & captis circumquaque caſtellis, ingredi urbem parabant. Quos poſt longam pugnam Joannes Barbadicus armatis lembis quibuſdam perfacilè repulit, cùm progredi ulteriùs in æſtuariis illis triremes Genuenſium non poſſent. Hac etiam arte Barbadicus uſus eſt. Inventa tum primùm à quodam Teutonico bombarda fuit, à ſono, & tonitru ſic dicta: nulla erat ſcapha Venetorum, nullus lembus, qui non duas bombardas, & eò ampliùs haberet: quibus multi Genuenſes, ut à re inſolita oppreſſi ſunt. *Plut. in Urbano VI.*

Antonilus Siculus cognomento (ex ea enim inſula oriundus erat) Venetiis ortus, educatuſque, maritimis artibus à primis annis imbutus, cùm apud Chalcidem ageret, captus à Turcis, diù cum illis ſervitutem paſſus erat, omniaque eorum publica, privataque munia diligentiùs explorarat. Liberatus igitur à tam gravi jugo, lætus Mocenicum tunc claſſis Imperatorem adit, pollicetur que illi, ſeſe paratum ad navalia incendenda, quæ Calipoli ampliſſima, inſtructiſſimaque erant. Verſatum ſeſe in iis locis ad aliquot annos ea mente, & animo, ut Chriſtianæ pietati, & Veneto nomini in primis prodeſſet: pe- F tere igitur ſe ab illo, ut paratis, quæ tantæ rei neceſſaria eſſent, ſeſe dimitteret. Qua re cognita Imperator ſtructo ſtatim navigio, vænalibuſque pomis referto (ſic enim illi placuerat) ſuperato facilè Helleſponto Calipolim appulit: mercatoriſque perſonam ſimulans, qui ea poma venderet, aliquot dies cuncta perluſtrans, tandem noctu perfracta navali ipſius porta ignem ſecum, & picem deferens, magnam partem armamentarii ejus incenderat, cùm vigiles Turcæ Tectorum fragore, flammæque ſonitu exciti, eò convolant. Quòd cùm ille cognoviſſet, ſtatim correpta fuga ad navigium rediit, in adverſam Helleſponti ripam navigaturus. Cæterùm imprudens correpto navigio picis incendio, enatando evaſit, in proximaque ſylva ſe abſcondit. Interim, cùm Turcæ incendii auctorem perquirerent, facilè è natalibus pomis navigiique reliquiis coniiciunt hunc unum fuiſſe, qui tantùm facinus patraſſet. Quem ſtatim ſecuti per proximam ſylvam veſtigiis extantibus, captum ad Subbaſſam adducunt Calipolim: quem ille ad Othomannum Principem deducendum quamprimùm curat, ratus non muneris eſſe ſui, ut in hunc ipſum animadverteret. Ad hunc igitur adductus, interroga- G tuſque, Cur tantùm facinus auſus eſſet? magna animi conſtantia reſpondit, Mirari ſeſe, qui ex Chriſtiano homine hoc quærat. An neſcis, inquit, te unum eſſe, quem Chriſtiani homines meritò ſummo odio perſequantur omnes, an verò diſſimulare potes acerrimum tuum in nos odium? pietatem noſtram tot anno crudeliſſimè inſectere? qui tot regna, tot urbes nobis ademeris? qui tot populos, tot gentes intereméris? qui denique noſtræ pietatis finem unum tantùm cogitas? in tuos quoque ipſos ſumma immanitate. Princeps ejus orationis vim jam non ferens, tantamque indolem in uno juvene admiratus, diſſectum medium interfici, in publicumque proiici juſſit. Hac re cognita ſenatus Venetus, & ſuperſtiti fratri annuum ſtipendium ſtatuit, & ſorori, quæ Venetiis agebat, dotem in primis honeſtam annumerari voluit. *Eguat. l. 3. cap. 4. & lib. 4. c. 8.*

Angelus Triviſanus, Venetæ claſſis contra Alfonſum Ateſtinum Ferrariæ ducem adverſo Pado an. 1519. ſubvectæ Imperator, cùm ad Puliſellum aſcendiſſet, propugnaculum in H hoſtili ripa utrinque erexit, & tranſverſa claſſe amnem veluti perpetuo ponte junxit, ut omnes copias in ſuburbanum agrum emitteret, Magno Ferrarienſium metu, periculòque. Ibi Hippolytus Cardinalis, qui omnis laboris, atque periculi Comes Alfonſo fratri operam navabat, inuſitatum facinus ad parandam de hoſte victoriam felici ingenio excogitavit. Perpetuum namque Padi aggerem locis idoneis ad libramentum profluentis aquæ ea ratione terebravit, ut feneſtellas perforato toto aggere paſſim aperiret, per quas majora tormenta ſedulò collocata in adverſam claſſem inevitabili, cum clade hoſtium diſploderentur. Arriſit dolo fortuna, punctoque temporis nihil tale timente Veneto tanta vis ingentium pilarum contorta eſt, ut majora minoraque navigia, cum innumerabili nautarum, & militum multitudine mergerentur: Padus cruentas undas traheret, Venetique miſerrimo caſu circumventi, oppreſſique in fugam verterentur, & Triviſanus præfectus claſſis ægrè ſeſe explicaret, vixque integra prætorio ſecundo amne elaberetur. Captæ ſunt triremes quindecim, biremium verò mino-

minorumque navigiorum magnus numerus, & ingens multi- A tudo omnis generis tormentorum cum toto navali apparatu in poteſtatem Ateſtinorum devenit. Relata ſunt vexilla ſuprà quadraginta, quæ cum roſtris triremium, & antennis in templo maximo ſuſpenſa ſunt: ut ejus victoriæ decus, atque triumphum poſteris teſtarentur. Triremes autem captivæ adverſo Pado per alterum diviſi amnis cornu Ferrariam perductæ ſunt, & in navalibus collocatæ. *Jovius in Alphonſo Ateſtino.*

In Punicis litoribus Bernardus Ciconia ejuſdem generis navibus, quæ ad mercaturam proficiſcuntur, à Venetis præfectus, Perucam piratam ingenio magis, quàm viribus expugnavit, ann. Salutis 1497. Erat uterque ad Tuneta in portu: atque ille navem onerariam permagnam habens, ut exirent Veneti expectabat, illos in mari aggreſſurus, ſeque id conaturum palàm anteà præ ſe tulerat, multa minaciter oblocutus. Interim Dalmatæ, qui ſub Imperio Venetorum degebant, navem non magnam eundem in portum adducunt. Id ut eſt Ciconiæ nunciatum, nocte ex ſuis navibus homines complures in illam imponit, naveſque aptari ad pugnam imperat. Ea re, tametſi furtim fiebat, tamen è piratis animad- B verſa, confeſtim Peruca relictis ob celeritatem anchoris è portu ſeſe eripit. Ciconia illum cum triremibus ſequitur: tranquillitateque oborta, remigum labore aſſecutus, oppugnanſque cominus, ubi propter navis altitudinem nihil fermè virtute militum proficit, & ſuos facilè vulnerari de ſuperiore loco videt, filios in navis ſcapham jubet deſcendere, eoſque ſuæ puppis pluteis, armamentiſque contegens, ex piratæ navi ſtuppas inter tigna conſtipatas paulum ſub aqua extrahere imperat. Ea re hoſtibus imprudentibus effecta, impletaque navi aqua, Peruca illi deditur. *Bembus lib. 4. Venetæ Hiſt.*

Alfonsus Siciliæ, & Aragonum Rex, Bonifaciam urbem in Corſica inſula (quem olim Syracuſanum portum vocabant) Genuenſium coloniam arcta premebat obſidione. Genuenſes ſuis auxilia miſere, ann. M. CCCC. XXI. in portu ipſo acre prælium navale committitur, Alfonſi navis una, Caput rotundum dicta, arcis inſtar, Genuenſibus plurimum negotii exhibebat. Andreas igitur Mergus, Genuenſis, cui profundum maris petere, & ſi quid peſſum cecidiſſet, ſurſum C referre, ludus otioſus erat, Joannis Campofulgoſi ducis juſſu, in medio pugnæ ardore, galea tectus, & brevi cultro accinctus, clàm ſe in mare præcipitem dedit, & ima petens, illius maximæ regiarum navium funes anchorarios nullo negotio præcidit. At vaſta illa moles, quam duæ hoſtiles naves ita urgebant, ut vix ſiſti anchoris poſſet, ubi omni retinaculo ſoluta eſt, fluitare primùm, deinde proram aliò vertere, poſtremò ſemel mota aliàs, quoque naves ſecum trahere cœpit, ita ut Alfonſus retrocederet, & Genuenſes Bonifaciam tutò ingrederentur. *Jacob. Bracellus lib. 1. belli Hiſpanici, & Fulgoſ. lib. 6. cap. 4.*

Anno 1588. Philippus Hiſpaniarum Rex, ingentem centum, & quinquaginta navium claſſem in Anglos emittit: quæ ſub ipſis initiis in Luſitanico mari tempeſtate naufraga aliquot triremium jacturam facit. Cùm Anglis congreſſa aliquoties, & infelici marte, & adverſo vento depugnavit: ut maxima ſtrage effecta, tandem ad Galliæ litora ſeſe recipiens, in Caleti portu anchoras fixerit: auxiliares Parmenſis ducis copias præſtolatura. Angli fuco animadverſo ſtratagemate inſigni depellunt hoſtem. Etenim ſeptem ex vilioribus naves intrinſecus pice, ſulphure, igne, ferreis laminis, & hamis in- D ſtructas, vento à tergo inſpirante, in claſſem Hiſpanorum ferendas emittunt. Illi navibus his viſis ardentibus, horrendo clamore excitato, anchoras tollunt, rudentes diſſecant, velis expanſis in fugam ſe coniiciunt. Quo repentino tumultu accidit, ut Centurionalis Galeatia, quam illi Capitaneum vocant, in Anglorum poteſtatem redacta ſit, quædam malis, & antennis detectis in ſocias detruſæ, plures luxatis à tormentis carinis in profundum maris depreſſæ, duæ Fliſſingam ictibus planè conquaſſatæ abductæ, aliæ alibi vi tempeſtatis appulſæ, fuerint interceptæ. Reliqua claſſis, perſequentibus Anglis à tergo fugiens petita vix tandem huc illuc jactata, in Hiſpaniam rebus infeliciſſimè geſtis reverſa eſt. Deſcripſit hujus rei narrationem prolixè *in ſuo opere Cronographico ad ſupplementum P. Opmeri, L. Beyerl.* ad annum 1588. in geſtis Belgicis, & Anglicis: ubi notat, Zelandiæ confœderatos in memoriam ſuperatæ tam memorabilis claſſis nummos cudiſſe argento, & ære, qui unà parte claſſem exprimerent, altera hanc inſcriptionem. *Venit, luit, fugit, ann. M. D. LXXXVIII.*

* Cæterùm memorabilis victoria, quam anno M. D. XXII. de Turcarum ingenti claſſe tulit Joan. Auſtriacus ad Naupa- E ctum, prætereunda non eſt. Cùm ab hominum memoria domus Ottomannica ſimilem cladem vix experta fuerit. Præerat Turcarum navigiis Alis Baſſà, Chriſtianam claſſem, quam plures Principes adornarant in communem generis noſtri hoſtem, Auſtriacus ducebat. Ipſo D. Juſtinæ die ſtabat utraque acies in modum lunæ ſemiplenæ, tantaque navium, & triremium congeries erat, ut mali, & antennæ denſioris ſylvæ imaginem referrent. Magna igitur alacritate concurritur, prælium initur, quando illicò Prætoria Turcarum impetitur, ipſe Alis glande plumbea traiicitur, tota claſſis in Chriſtianorum poteſtatem venit, quæ demerſioni, & incendio ſuperfuerat. Triremes, ac alia navigia, quæ à Chriſtianis ſunt occupata, dicuntur fuiſſe numero CLXXX. diem, & annum tam inſignis victoriæ complectitur hoc Chronicon.

Adgrates properate oMnes, res fortIter aCta eſt:
nonIs oCtobrIs VICtIs ad LeVCada tVrCIs.

Videatur ſupplementum Opmeri, per L. Beyerl. fol. 15. ad ann. 1572.

F

Claudicatio. Claudus.

* Definitio, & Etymologia.

Claudicatio, ſive Claudítas χωλότης Græcè, eſt impedimentum in pedibus, aut cruribus, quo fit, ut quis æquis paſſibus nequeat incedere. Unde claudus dicitur, qui tale impedimentum habet, quaſi pedibus clauſis, id eſt, impeditus prohibitus. Exhinc familia Appii Claudii originem ſui nominis ſumpſit, ac primum Appius Clauſus fuit appellatus. Sumitur aliquando pro tarditate. Ita Apul. vos mihi beneficio veſtro non tantùm claudítatem dempſiſtis: verùm etiam pernicitatem addidiſtis.

Claudi Qui?

Jacob Patriarcha fuit claudus: quoniam femur ejus Angelus, cum quo luctatus fuerat per totam noctem, perſtrinxerat. *Gen. 32.*

Mephiboseth F. Jonathan Saul Regis nepos, quinque annos G natus, cùm à nutrice in ulnis geſtaretur, illa audita clade Iſraelitarum, in qua Saul, & Jonathan ceciderant, trepidantius fugiens puerum cadere permiſerat. Itaque ille luxatis ex lapſu pedibus claudus factus eſt. 2. *Reg. 4.*

Therſites omnium Græcorum, qui ad Trojam navigarunt deformoſiſſimus, altero pede claudus fingitur ab Homero, *Lib. 2. Iliad.*

Amazones bello captos trucidabant: Pulcherrimos autem, vel pede, vel brachio dextro mutilabant, ne aufugerent, inſidiaſque molirentur. Scythis verò illarum congreſſum petentibus, & mutilatos, claudoſque veros illos eſſe dictitantibus. Antianira reſpondiſſe fertur ἄριστα χωλὸς οἰφεῖ, claudus quidem eſt pede, brachio inutilis: at in palæſtra tamen lecticaria virum ſe præſtat. Euſtath. *Il. γ*, & Strabo, & Theocriti interpretes, & *Cælius lib. 14. cap. 5. A. L.* feruntur claudi ſalaciores eſſe, quod alimentum cruri vitiato debitum, inguina ad ſe trahant.

Medon Codri F. Rex Athenienſium, claudus. *Pauſ. in Achaic.*

Loeda Amphionis Bacchidarum apud Corinthios filia clauda Ertioni Echecratis, è Petra tribu, marito Cypſelum patriæ tyrannum peperit. *Herod. lib. 5.* H

Perdix caupo quiſpiam erat claudus ab Ariſtophane locis aliquot notatus: unde & in proverbium abiit, Πέρδικος σκέλος, id eſt, Perdicis tibia: item Περδίκειος πούς, Perdicis pes. *Eraſm. in Adag. ex Suida, & Ariſtophane Grammatico.*

Dorion tibicen cùm eſſet claudus, calceumque claudi pedis in ſympoſio perdidiſſet: Nihil inquit, priùs in eum, qui abſcondit imprecabor, quàm ut ejus pedi conveniat. *Athen. lib. 8. cap. 5.*

Turteus ludi magiſter claudus, ab Athenienſibus, Lacedæmoniis auxilia contra Meſſenios petentibus, irridendi cauſa miſſus, quem hi exercitui bonis auſpiciis præfecerunt, ſuis namque carminibus animos juventutis ad fortitudinem accendit. *Pauſ. in Meſſen.*

Damonides pædotriba claudus, cùm crepidas furto amiſiſſet, imprecatus eſt, ut furis pedibus, quam maximè congruerent. *Plut. lib. de audiend. Poetis.*

Agesilaus Arcaidami F. Claudus, de quo tale videbatur editum miraculum Delphicum:

Sparta

Sparta cave, quamvis te gloria maxima tollat,
Heu tibi ne claudus recti cruris noceat rex:
Tunc inopinatos longum patiere labores,
Lethiferique undam miſcentem cuncta duelli.

Pauſ. in Lacon. & Plut. in Ageſilao. Item Athen. lib. 12. cap. 16.

Dyoceus claudus, & luſcus, omnique ex parte formoſiſſimus, à Juſtino deſcribitur *lib.* 3.

Androclydam Laconem legimus debilem crure, ac inutilem, cùm ſe bellatoribus immiſcuiſſet: ac præſto ibidem fuiſſet, qui prohibere niteretur, quod parum robuſtus videretur, intuliſſe graviter, atque animóſe, in aciem inſtitui oportere, qui de prælio cogitet, non de fuga. *Plut. in Lacon.*

Lacæna claudum filium mittens ad prælium, τέκνον ἴθι, κατὰ βῆμα ἀρετῆς μέμνησο, fili, ait, per ſingulos gradus memento virtutis. *Plut. in Lacon.*

Philipus Macedo, cùm in Triballis coxa eſſet debilior factus lanceæ percuſſu, ac ejuſmodi angeretur incommodo. Alexander Magnus: Confide (inquit) pater, ac prodi in apertum, ἵνα τῆς ἀρετῆς κατὰ βῆμα μνημονεύῃς, quod eſt, ut per gradus ſingulos in virtutis memoriam redigaris. *Plut. de Alexandri fortuna.*

Artemon faber Machinarius, tempore Periclis, cùm claudus eſſet, ſuas paſſim machinas circumferebat. *Eraſ. in Chil.*

Horatius Cocles, cùm ei cruris vitium objectaretur: per ſingulos, inquit, gradus admoneor triumphi mei. Digna vox liberatore principis terrarum populi. Quippè pertinax occupatio pontis adverſus Hetruſcam vim gravius aſſultantem, eam illi conciliaverat calamitatem, cui tamen non defuit obtrectator. *Cæl. l.* 14. *c.* 5. *A. L.*

Auguſtus Cæſar coxendice, & femore, & cruce ſiniſtro non perinde valebat, ut ſæpè etiam inde claudicaret: ſed remedio arenarum, atque arundinum firmabatur. Ita *Suet.*

Augustus Cæſar in ludrico Trojæ ludo abs ſe inſtitutum C. Nonium Aſprenatem lapſu debilitatum, aureo torque donavit, paſſuſque eſt eum, poſteroſque Torquati ferre cognomen. *Sueton.*

Epictetus Philoſoph. Hieropolitanus, claudus, unde apud *Macrob.* ſic loquens inducitur:

Servus Epictetus genitus ſum corpore claudus;
Paupertate Irus, diis at amicus ego.

Demonax in Ruffinum quendam claudum multo tempore familiarem Peripateticis, dixit, nihil eſſe turpius Peripatetico claudo. Alluſit ad hoc, quòd Peripatetici dicuntur ab inambulatione, quæ claudo convenit. *Eraſm. Rotb. lib.* 8. *Apopht.*

In claudum quendam *Pallad. in* 2. *Epigr.*

Χωλὸν ἔχεις τὸν νοῦν, ὡς τὸν πόδα· καὶ γὰρ ἀληθῶς
εἰκόνα τῶν ἐντὸς σὴ φύσις ἔχει.

Idem in alium.

Ποῖ ἔχεις τὸν ἔρωτα, γυναῖκα δὲ τὴν Ἀφροδίτην
οὐκ ἀδίκως χαλκοῦ τὸν πόδα χωλὸν ἔχεις.

Tamerlanes Magnus ille Scytharum Imp. cùm privatus adhuc latrocinia exercens murum conſcendiſſet, & in ſtabulum pecoris abigendi cauſa ſeſe demiſiſſet, conſpectus à paſtore præcipiti ſaltu deſiliens crus fregit, ſic ut poſteà claudicarit. *Chalcocondylas lib.* 3.

Genſericum Vandalorum Regem, Jornandes deſcripſit virum ſtaturam mediocrem, equi caſu claudicantem, animo profundum, ſermone rarum, luxuriæ contemptorem: ira turbidum, habendi cupidum, ad ſollicitandas gentes providentiſſimum, ſemina contentionum jacere, odia concitare paratum. *Sig. lib.* 12. *Imp. occid.*

Hadingus Danorum Rex Aſmundum Sueonum regem haſta perfodit: Aſmundus inter exiguas vitæ reliquias vulneratum interfectoris ſui pedem perpetua claudicatione affecit. *Sax. lib.* 10. Sunt qui ſcribant Henricum II. Cæſarem in Italica expeditione captum ab hoſtibus illuſiſſe capientibus, ut ex arce, qua teneretur, deſiliens coxam læſerit, unde per reliquum tempus claudicavit. Certum eſt, quòd Papiæ graviſſimum tumultum armis magno ſuo periculo ſedarit; ibi fortè in palatio aliquamdiù obſeſſus, crure lædi potuerit. Sed quod captus in carcere detentus, & elapſus fuerit, difficilè creditu. *Crantz. Sax. cap.* 32.

Hemanites planta Indica ſanguinem ſiſtit. Cùm enim Chili oppido S. Jacobi horrenda fames graſſaretur: captivi quidam Indi ſuras ſibi amputarunt, eaſque præ fame comederunt. Hujus plantæ folia impoſuerunt, ſanguinemque ſtiterunt. *Joan. Metellus.*

Curati.

Claudum per 38. annos ad Probaticam piſcinam Hieroſolymis decumbentem, Chriſtus ſolo verbo ſanavit die ſabbathi. *Joan.* 5.

Petrus cum Joanne templum aſcendens, claudum quendam à matris utero, qui ad portam templi ſpecioſam dictam, ſtipem petebat jam per 40. annos in nomine Jeſu Nazareni, Eleemoſynæ loco ſanavit. *Act.*

Paulus Apoſtolus, Lyſtris Lycaoniæ claudum quendam ab utero matris fide illius perſpecta curavit. *Act.* 14.

Greg. Turon. cap. 11. *de gloria Confeſſor.* narrat Presbytero cuidam obviàm factum S. Martinum, ejus pedem debilem in nomine Chriſti ſanaſſe. Hunc Presbyterum juſſum à puero Martini comite, extruere in eo ipſo loco templum, quo S. Martinus ſteterat, cum ipſius pedem reſtitueret: in quo paralytici, & cœci ſanitatem, oculoſque recuperarint.

D. Bernardus claudum puerum crucis ſignaculo curavit, cùm primùm fuiſſet nonnihil reluctatus, & diceret hoc eſſe Apoſtolicæ, non ſuæ virtutis. *Auct. vitæ lib.* 1. *cap.* 12. Spiræ in præſentia Conradi III. claudis puero, & viro, ubi manum impoſuiſſet, ſanitatem reſtituit.

In territorio Toloſano apud viride folium, puer mancus, & claudus à prima ætate, ad cujuſdam martyris memoriam utriuſque pedis, & alterius manus ſanitatem acceperat. Eò cùm veniſſet Bernardus, alteram manum tanquam ſibi reſervatam benedicendo curavit. *Idem.*

Ad rutinenſe Cœnobium, quod in Trevirenſium diœceſi ſitum eſt, quidam Guntranus de Sura fœminam claudam offerri fecit, ubi eo tempore miſſam celebrabat S. Bernardus. Cùmque præ nimia hominum multitudine ipſi ſe non poſſet ſiſtere, in media baſilica repentè convaluit. Ibidem eodem die lux ſubita cœlitus delabi viſa eſt, ex qua claudæ duæ fœminæ, & cæci viri duo ſanitatem receperunt. Nantonis in Territorio Senonenſi cujuſdam juvenis pedem, qui fiſtula laborabat, tetigit, & ſtatim curavit. Hæc *Auct. vitæ lib.* 1. *cap.* 9.

Alexander II. Papa Aquinum prætergrediens pede captam mulierem maxima cum adſtantium admiratione curavit aqua, qua poſt ſacrificium manus abluerat, potui miniſtrata. *Sigon. lib.* 9. *Regni Ital.*

Clavis.

* Definitio, & Etymologia.

Clavis eſt ex Κλαὶς Dorico: pro Κλεὶς interpoſito v. & ſumitur pro omni illo, quo ea, quæ clauſa ſunt per ſeram, ſive clauſtrum aperiuntur. À claudendo ita dicta per Antiphraſin: ſive à clàm, quòd ea, quæ celamus, claudere, aut clàm habere ſoleamus. Hinc conclavia loca ſunt, quæ ſub una, eademque clave clauſa ſunt: & claviger κλειδοφόρος. Accipitur metaphoricè pro Juriſdictione, ut infrà.

Traditio Clavium Signum Potestatis, & Juriſdictionis.

Sæcularis.

In nuptiis.

Olim præter aliàs ceremonias, quibus utebantur in ſanciendis connubiis, una etiam erat, quod ſponſus, ſponſæ ſuæ, ſive novæ nuptæ traderet claves. De quo ritu quære plura. ☞ *Tit. de Nuptiis.* §. *Ritus nuptiarum.*

In inauguratione, & urbium occupatione.

Solemne etiam eſt, ut principi in urbem aliquam recens venienti, claves deferantur, & tradantur in ſignum ſubiectionis: uti ſi quando victam urbem victor ingreditur, claves portarum ſibi tradi primitus jubet, quibus eas claudere, & aperire valeat, pro neceſſitate, admittere, vel excludere quoslibet. Hujus rei exempla obvia ſunt, & notiſſima, tanquam de re olim, hodièque uſu recepta.

Eccleſiaſticæ.

Chriſtus deſignaturus Petrum Eccleſiæ ſuæ Paſtorem primarium, & vicarium ſuum in terris, eidem promittit claves regni cœlorum his verbis: *Et tibi dabo claves regni cœlorum:* quibus verbis Petro tanquam futuro Eccleſiæ paſtori promittuntur claves, id eſt, poteſtas ordinis, & Juriſdictionis, quæ demum Petro datæ ſunt unà cum reliquis Apoſtolis, *Joan. cap.* 20. Cùm enim dixiſſet Apoſtolis, Pax vobis, addit: Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos: quibus verbis eis dedit clavem, ſive poteſtatem Juriſdictionis, eoſque velut legatos ſuos inſtituit. Et ſubdit: Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur, &c. quibus, eiſdem contulit poteſtatem ordinis. Cæterùm has claves eis datas cum ordine cujuſdam ſubiectionis ad Petrum, patet, quòd illi ſoli dicat Chriſtus *Joan.* 21. Paſce oves meas, quomodo ſoli illi dixerat: Tibi dabo claves, in præmium ſingularis confeſſionis. Cæterùm hæc clavium acceptio potiùs metaphorica eſt.

Oeconomicæ.

Ei, qui inſtituitur Oeconomus, aut Paterfamilias alicujus domus, dantur claves in ſignum gubernationis ei creditæ, ut eſt notorium. Immò ſolent rectores magnæ familiæ claves geſtare, tanquam inſigne ſui muneris, quod & matribusfamilias familiare eſt.

Neque id ſolùm in ſecularium familiarum regimine obtinet, verùm etiam in Eccleſiaſtico, ſive ſpirituali. Introducendus enim in poſſeſſionem Curæ paſtoralis Clericus de ea proviſus, claves manibus accepit ab introducente illius Eccleſiæ, cujus gubernatio ei committitur: ſoletque clavium ita traditarum mentio fieri in formula, quæ in tali actu uſurpatur, eſtque ſolemnitas ad eumdem requiſita.

Poteſtatis Divinæ.

Etiam per Metaphoram dicitur Deus habere varias claves, ſecundùm, quas legitur aperire clauſa, hoc eſt concedere nonnulla beneficia hominibus. Quatuor autem diverſarum rerum claves dicuntur eſſe penes Deum, ut notavit *Periphraſtes Jeroſolymitanus in cap.* 30. *Geneſ.* quas, neque Angelis, neque ulli creaturæ communicat: nempè pluviæ, alimentationis, ſepulchrorum, ſive reſurrectionis, & ſterilitatis, ac fœcunditatis. De prima habes *Deut. cap.* 28. De ſecunda, *Pſal.* 145. De tertia, apud *Ezech. cap.* 37. De quarta, *Geneſ.* 30. & *Job cap.* 3. Quamvis præter has, plures inſuper Deus habeat, ut conſtat ex Scriptura.

Claves.

Dono miſſæ.

Olim Romani Pontifices ſolebant ad Chriſtianos Imperatores mittere fragmenta ſacrarum reliquiarum, & nominatim raſuram catenarum, quibus alligatus fuit Princeps Apoſtolorum, incluſam clave aurea, vel argentea. Cujus rei teſtem habemus S. Gregorium. Præterea ait: benedictionem S. Petri, clavem parvulam è ſacratiſſimo ejus corpore tranſmiſit. *Lib.* 6. *Epiſt.* 28. *ad Theoſtitum.* Clavem parvulam è ſacratiſſimo B. Petri Apoſtoli corpore pro ejus benedictione tranſmiſimus, in qua ineſt ferrum de catenis ejus incluſum: ut quod collum illius ad martyrium ligaverat, veſtrum ab omnibus peccatis ſolvat.

Scribunt de hujuſmodi clavibus dono à Romanis Pontificibus tranſmiſſis, *Regino in Chron. anni D.CC.XCVI. Ado Viennenſis in Chron. ætat.* 6. *Abbas Viſpergenſis anno eodem* eaſque claves, Confeſſionis S. Petri claves vocant: & pro munere ad Carolum Imp. à Leone miſſas ſcribunt.

Iidem Auctores tradunt, anno D CCC. ſimile donum ab Epiſcopo Hieroſolymæ ad eundem Carolum tranſmiſſum: eaque munera à pietate commendat. *Petr. Æmil. in vita Caroli.*

☞ *Quære Tit. de Catena,* §. *Catenæ ſacræ.*

Claves inſignia dignitatum. ☞ *Quære Tit. de Cubiculariis.*

* Clavus.

* Definitio, & Etymologia.

Clavus ἧλος Græcè, à claudendo dictus. Ob id enim figitur, ut claudat, ſive contineat, & adjungat aliquid: *Iſidor. lib.* 1. quamvis *cap.* 9. velit clavos dictos quaſi Chalybos, ratione materiæ, ex qua fiunt. Erat olim Clavus veſtimenti genus ab humeris ad pectus: tale erat ἐπωμὶς Græcorum Senatorii ordinis viri, latiori clavo induebantur; Inferiores verò ſtrictiori. Item gubernaculum Navis clavus dicitur οἴαξ.

Clavorum Usus.

Uſus clavorum familiaris eſt in arte fabrili, unde de eo nihil dicendum hoc loco. Præter hunc tamen varius traditur apud Auctores.

Ad Seriem Annorum Indicandam.

Solebant veteres Romani Clavum infigere parietibus ſacrarum Ædium per annos ſingulos, ut per eum annorum numerum colligerent, vocabant autem illud Clavum annalem, ut notavit Feſtus.

Ad Conservationem Cadaverum.

Veteres Ægyptii, quibus cadaverum conſervandorum cura ingens fuit, ut eadem integra permanerent, & à putredine redderentur immunia, idola ærea, clavoſque æreos iiſdem includebant. Et quidem de clavis ita rem ſe habere tradit *P. Camer. in Oper. ſubciſ. c.* 14. *lib.* 1. & nos ex eodem retulimus, ☞ In *tit. de Cadaveribus,* §. *Cadavera ſervata à putrefactione.*

Supplicii Adhibiti.

Clavo necati.

☞ *Conſule Titulum de Morte,* §. *Mortis inſtrumenta.*

Jesus Chriſtus Dei Filius inter alia tormenta, quibus impii Judæi eum affecerunt, non minimum ſuſtinuit, quando corpus ipſius in Crucem extenderunt, & clavis (quos quatuor alii, alii verò tres fuiſſe exiſtimant) manus, ac pedes terebratos affixerunt: quo ſanè cruciatu nullus magis immitis, aut barbarus cogitari potuit.

Sed huc etiam poſterioris ævi improbitas devenit, ut Chriſti Martyres eodem, quo Dominum ipſorum ſupplicii genere afficerent, immò & pluribus ſubinde clavis transfigerent: ut ex actis S. Martyris Quintini, & aliorum conſtat. Certè omnes illi, quos affixos fuiſſe legimus ab Ethnicis, quorum hiſtoriam narravimus *Tit. de Cruce,* plerumque clavorum vinculis affixi fuerunt.

Clavi ſacri in honore habiti, & miraculis clari.

Inter omnes reliquias, quas ſummo ſemper honore proſecuta eſt Eccleſia Catholica, Clavi, quibus Redemptor noſter Cruci fuit affixus, magna veneratione habiti fuere. Tradit *Metaphraſtes* B. Virginem, quæ filio patienti ſumma animi conſtantia, & pietate adfuerat, eos manibus, pedibuſque abſtractos in ſinum revolviſſe, & conſervaſſe, ut ex eodem Metaphraſte *Baron. tom.* 1. *Annal. ad ann. Chriſti* 34.

Cæterùm impietate cùm Judæorum, qui Chriſto omnem gloriam invidebant, tum Ethnicorum etiam ſacra hæc Dominicæ Paſſionis inſtrumenta in locum abſtruſum, ne ulla à Chriſtianis impenderetur veneratio, rejecta fuerunt. Itaque Helena Conſtantini mater, dum ſacram crucem, qua mundi ſalus pependit, reperiſſet, etiam ad clavos, quibus crucifixus fuerat Dominus, quærendos animum adiecit: quæſivit, ait *S. Ambr. orat. in fin. Theodoſii,* & invenit. De uno clavo frenos fieri præcepit, alterum diademati intexuit: unum ad decorem, alterum ad devotionem vertit. Miſitque filio ſuo Conſtantino, & diadema, & frenum, qui utroque uſus fuit, & fidem tranſmiſit ad poſteros Reges. Vide de hac re pleraque curioſa *apud Bar. tom.* 3. *Annal. ann.* 326. *num.* 51.

Tertium clavum refert *Greg. Turonenſ. de glor. martyr. c.* 6. fuiſſe juſſu Helenæ projectum in mare Hadriaticum, quod ante uſque adeò extitit tempeſtuoſum, ut vorago navigantium diceretur ob quotidiana naufragia: fuiſſe autem ſævas fluctuum commotiones compreſſas, poſtquam hic clavus injectus fuit. Idem Turonenſis affirmat.

De quarto clavo tradit idem *Gregor.* (qui & quatuor fuiſſe probabili conjectura exiſtimat, eamque opinionem confirmant antiquiſſimæ tabulæ, & imagines Crucifixi, quæ variis locis repræſentantur) ipſum in galea ſtatuæ Conſtantini poſitum: quod & *Zonaras* tradit *part.* 3. *Annal.* ſed exiſtimat *Baron. loco allegato num.* 53. non fuiſſe impoſitum ſtatuæ diadema, ſed coronam ad ſimilitudinem veræ coronæ, cujus apex clavi infixione ornabatur.

Etiam clavos quibus alii Martyres ab infidelibus Crucifixi, vel in terram, aut parietem in modum Crucis affixi leguntur, ut de S. Frebonia virgine, & decem millibus militum ſub Imp. Hadriano apud Alexandriam Armeniæ: ac de S. Macario Patriarcha Antiocheno *Surius, Metaphraſtes,* aliique probatæ fidei auctores ſcribunt; etiam inter ſacras eorundem reliquias ſervati, & reverenter habiti fuerunt, tanquam inſtrumenta ſacra, per quæ illi immortalitatis gloriam adepti fuerunt. Qua in re obtinere debet, quod ait *S. Ambroſ.* Fides purgat facinus: cùm nemo fidelium ferrum colat, ſed Chriſti potiùs paſſionem veneretur, & adoret in ferro.

Clemen-

Clementia.

A

MANSUETUDO ERGA PROXIMUM. MODERATIO IRÆ, &c. INJURIARUM TOLERANTIA.

DEFINITIO, & ETYMOLOGIA.

Clementia Græcè ἀνεξικακία, & ἀνεξίκακος, Clemens. Et eſt, per quam animus temerè in odium alicujus concitati, comitate retinetur: & eſt pars temperantiæ, *ex Cicer. in Rhet.* vel eſt moderatio aliquid ex merita, & debita pœna remittens.

Item clementia eſt animi temperantia in poteſtate ulciſcendi, vel lenitas ſuperioris erga inferiorem in conſtituendis pœnis. *Senec. lib. 2. de Clement. c. 3.*

Clementia eſt virtus moderativa pœnarum ſecundùm legem, *ſecundùm D. Thom. 2.2. q. 158. art. 1.*

Clementia eſt lenitas ſuperioris ad inferiorem: ſed manſuetudo eſt cujuslibet ad quemlibet, *ex D. Thom. 2.2. q. 175.*

Clementia eſt virtus humana, ideò ei directè opponitur per exceſſum crudelitas, non autem feritas, aut ſeveritas ſub be-
B ſtialitate, ſed virtuti heroicæ, vel dono pietatis: *ſecundùm eund. 2.2. q. 159. art. 2.* Opponitur autem eidem per defectum nimia lenitas, quæ provenit ex nimia alieni mali compaſſione, cùm calamitas, non cauſa ſpectatur.

Clementia differt ab ἐπιείκεια, quòd clementia moderatur affectum in pœnis infligendis ſecundùm legem communem ex dulcedine affectus. Sed ἐπιείκεια, ſecundùm intentionem legis. *D. Thom. 2.2. q. 147. art. 2.*

A manſuetudine verò differt, quòd hæc ſit omnium, illa verò ſuperiorum, & Principum: hæc circa iram, illa circa vindictam externam verſetur. Unde differunt objecto formali, & materia proxima. Ita *D. Thom. 2.2. q. 157. & 159.*

* LAUS, ET COMMENDATIO.

—— *ſeparat hæc nos* (Clementia videlicet)
A grege brutorum, atque ideò venerabile ſoli
Sortiti ingenium, divinorumque capaces,
Atque exercendis, capiendiſque artibus apti,
C *Senſum à cœleſti demiſſum traximus arce,*
Cujus egent prona, & terram ſpectantia mundi.
Principis indulſit communis conditor illis
Tantum animas, nobis animum quoque mutuus, ut nos
Affectus petere auxilium, & præſtare juberet.
Juvenal. *ſat. 1.*

Claudianus.
Sis priùs in primis. Nam cùm vincamur ab omnì
Munere, ſola Deos æquat clementia nobis,
Nec tibi, quid liceat, ſed quid feciſſe, docebit,
Occurrat, mentemque domet reſpectus honeſti.
Idem Claud. *in conſul. Manlii Theodoſ.*
Se jactent alii, ſtudeant feritate timeri,
Abductoque hominum cumulent æraria cenſu.
Lenè fluit Nilus, ſed cunctis amnibus extat
Utilior, nullas confeſſus murmure vires:
Acrior, ac rapidus tacitas prætermeat ingens
Danubius ripas, eadem clementia ſævi
Gurgitis, immenſum deducit in oſtia Gangen.
Idem *lib. 2.*
Hæc & amicitias longo poſt tempore firmat,
D *Manſuroque adamante ligat, nec nobile mutat*
Ingenium parvo ſtrepitu, nec vincula noxæ
Diſſolvi patitur, nec faſtidire priorem.
Allicitur veniente novo, benefacta tenere,
Reſpuere offenſas facilis, pariterque minoris
Officii, magnique memor, ſuperare laborat.
Utque hoſtes armis, meritis ſic vincit amicos.
Hæc fovet abſentes, hæc longè ſola remotis
Conſulit, hæc nullus avidam rumoribus aurem, &c.

Nulla de virtutibus ſic ſolet ſapientiam parere, ut clementia, *Baſil. apud Anton.*

Exemplum omnium ſummæ clementiæ ipſum habemus omnium ſervatorem Chriſtum, quem ponè ſequi debemus, & alii aliorum injurias neceſſariò ferre: nam de illo ſcriptum eſt: cùm contumelia vexaretur non viciſſim contumelia, & convitio affeciſſe: dum pateretur, non minitatum, ſed ei qui juſtè judicat, cauſam commiſiſſe. *Cyrill. ibid.*

Paratus eſſe debet homo juſtus, & pius, patienter eorum malitiam ſuſtinere, quos fieri bonos optat, ut potiùs numerus creſcat bonorum, non ut pari malitia ſe quiſque numero addat malorum. *Auguſt. ſer. de puero Centur.* E

Hugo de S. Victore ita ait: Clemens animus dicitur, quando eſt tener ad compatiendum, facilis ad remittendum, promptus ad ſubveniendum.

Liberalitati, quas aptiores comites, quàm humanitatem, & clementiam dederim? Quoniam idem genus laudis expetunt: quarum prima, inopia: proxima, occupatione: tertia ancipiti fortuna præſtatur. Humanitatis enim dulcedo etiam efferata barbarorum ingenia penetrat, orbeſque, & truces hoſtium mollit oculos, ac victoriæ inſolentiſſimos ſpiritus flectit. Nec illi arduum, atque difficilè eſt, inter arma contraria, inter diſtrictos cominus mucrones, placidum iter reperire: vincit iram, proſternit odium, hoſtilemque ſanguinem hoſtilibus lachrymis miſcet. *Val. Max.*

* APOPHTHEGMATA.

☞ *Pleraque eorum, quæ inter Apophthegmata recenſemus, paululùm immutata, re tamen eadem, hoc eodem Tit. inter Exempla repetuntur. Ibi enim hiſtoriæ, factique ipſius habetur ratio: hìc autem Dicti, ſive ſermonis effi-* F *cacia, & virtus conſideretur.*

APOPHTHEGMATA VETERUM.

Puta Imperatorum, Philoſophorum, Ethnicorum, &c.

Tyrrenium Pittaci filium, Cumis in tonſtrina ſedentem, faber quidam ærarius impacta ſecuri occidit. Cumani homicidam victum miſerunt ad Pittacum, ut de eo ſupplicium ſumeret. At ille cognita cauſa, dimiſit hominem dicens, Ignoſcentiam eſſe potiorem pœnitentia. Sentiens, utiliùs eſſe condonare, quàm meminiſſe injuriæ, & ulciſci. Sunt qui referant homicidam ab Alcæo fuiſſe demiſſum cum hoc elogio. Melius eſt ignoſcere, quàm punire. *Laer. lib. 1.*

SOCRATES, cuidam percontanti cur Xantippem moroſiſſimam uxorem domi aleret, dicebat, ſic cum ejus notæ uxoribus habendam conſuetudinem, quemadmodum, qui ſe ad ſtadium equeſtre exercent, parant equos ingenii ferocioris: quos ſi ſubegerint, cæteris utuntur commodiùs. *Laer. in ejus vita.*

DIOGENES, cùm Plato laudaſſet quendam, qui erga omnes leniſſimus, & manſuetiſſimus eſſet, reſpondit, nil quicquam huic homini tribuendum eſſe, qui homines dolore, ſi res G poſtularet, non afficeret. Senſit vir prudentiſſimus, lenitatem, & manſuetudinem nimiam plurimùm in Republ. obeſſe. *Laert. lib. 6.*

QUIRINUS Sophiſta ab Aſianis caſtigatus, quòd in accuſando mitior, ac lenior eſſet, quàm ipſi docerent: Multo, ait, meliùs eſt, ut vos meam ſentiatis lenitatem, quàm ego veſtram crudelitatem. *Philoſt. in Soph.*

DION Syracuſanus extimulatus aſſiduis à militibus vociferationibus, ut Heraclidem factionum authorem, & in Syracuſanos conſpirantem, è medio tolleret: reſpondit. Si ob invidiam Heraclides perfidus, nefariuſque eſt, haud propterea opus eſt, ut Dion neglecta virtute, iræ obtemperet, vitamque corrumpat. *Bruſ. lib. 3. cap. 4. ex Plut.*

Demaratus Perſa quidam à rege defecerat, is ſuaſu Demarati mutatus, cùm revertiſſet ad ſuos, tentaretque eum rex interficere: Turpe, inquit, fuerit, ò Rex, ſi cùm hoſtis fuerit, non potiùs ab eo defectionis pœnas ſumere, nunc amicum factum velis occidere. Hoc prudentiſſimo dicto & regis indignationem temperavit, & ejus, cui reditum perſuaſerat, incolumitati conſuluit. Utrique conſultor utilis, alteri, ne quid indignum regia manſuetudinè committeret, alteri, ne pœniteret ab errore H revocanti paruiſſe. *Plut. in Lac. Apophth.*

Ageſipolis Cleombroti F. quidam, cùm apud ipſum ceu magnificum prædicaret, quòd Philippus Macedonum Rex intra pauculos dies ſubvertiſſet Olynthum: Atqui per Deos, inquit, talem civitatem longè majore temporis ſpatio non extructurus eſt. Significans, multò meliùs eſſe ſingulari clementia ſervare civitates, quàm conditas excidere. *Plut. in Lac.*

CLEOMENES, cùm ex quodam audiſſet, bonum magiſtratum omninò erga omnes mitem, & placidum eſſe oportere: reſpondit, Bene quidem, ita tamen ne ſit contemptui. Significans, clementiam nimiam pernicioſam eſſe civitati. *Plut. in Lac. Apophth. Bruſ. lib. 1. cap. 13.*

DEMONAX dicebat, nequaquam hominibus iraſcendum eſſe, ſi delinquerent, ſed corrigenda vitia: nimirum exemplo medicorum, qui non indignantur ægrotis, ſed morbo medentur. Nam hominis eſt peccare: Dei verò, aut hominis Deo proximi, emendare peccata. *Lib. 8. Apophth.*

Comeſſatores quidam in Piſiſtrati uxorem inciderant, multaque

taque laſcivè in illam tum fecerant, tum dixerant. Poſtero A verò die jam decocta temulentia, Piſiſtratum adierunt cum lachrymis, orantes veniam. Tum Piſiſtratus: Vos quidem in poſterum date operam, ut ſitis ſobrii: uxor verò mea heri nequaquam uſque prodiit ex ædibus. Humanitatis erat, quod ignovit adoleſcentibus: pietatis, quod uxoris honori conſuluit negans tale quicquam in illam factum eſſe. *Plut. in Græc. Apophth.*

Darius Xerxis pater, cùm tributum indixiſſet ſubditis, accerſitos provinciarum præfectos percontatus eſt, cùm aliis de rebus tum etiam an gravia eſſent populo tributa. Cùm illi reſpondiſſent, eſſe mediocria: ut ſinguli dimidiam tantùm partem exigerent, qua benevolentia, & clementia admodùm conciliavit ſibi ſubditorum animos, ut meritò ab omnibus diligeretur. *Plut. in Apophth.*

Feliciter pugnatum erat Ageſilao Rege apud Corinthum: in eo prælio, quanquam accepiſſet, Spartanorum admodum paucos deſideratos, cæterùm è Corinthiis, & Athenienſibus aliiſque ſociis ingentem numerum interiiſſe, adeò non gaviſus eſt, nec elatus ex victoria, ut graviter ingemiſcens deploraret Græciæ vicem: Heu, inquiens, Græciam, quæ B tot viros inteſtino bello perdidit, quot univerſis barbaris debellandis ſatis eſſe poterant. Viro magnanimo victoria erat optabilis, ſed charior erat ſociorum incolumitas. Quo animo tuliſſet ille, ſi plurimorum civium interitu fuiſſet empta victoria? Non parum laudis promeretur hic affectus in duce Lacedæmonio, tum natura bellaci, tum ethnico: At Chriſtiano principi nulla non debet lugubris victoria, quæ plurimorum etiam hoſtium exitio contigit. *Plut. in Lac. Apophth.*

Antigonus Rex Macedonum amicis ſuadentibus, ut ſi Athenas caperet, validis illam præſidiis communiret, ne quando deficeret: reſpondit, ſemper in ea fuiſſe ſententia, ut crederet, clementiam plus poſſe, quàm violentiam. *Plut. in Lac. Apophth.*

Idem, cùm ab initio regni durior eſſet, ſenex jam factus, clementer, & placidè regnum adminiſtravit. Hanc morum mutationem, cùm mirarentur ſubditi; reſpondit: Prius opus erat regno, nunc gloria, & benevolentia, qua regnum recuperatum ſervatur. *Plut. in Apophth.*

C Ptolomæus Lagi filius, cùm Grammaticum notaſſet inſcitiæ, quærens ab eo, quis eſſet Pelei pater? viciſſimque audiſſet, Dic tu prius, quis ſit Lagi pater amicis invitantibus ad tantæ improbitatis vindictam: Si regium eſt, inquit, non pati, ut à quoquam dicto attingatur: nec illud regium eſt, quemquam dicto laceſſere. Inique petit vindictam, qui prior laceſſivit, cujuſcumque dignitatis fuerit. Nec ſuæ dignitatis meminiſſe debet, qui refertur, cùm ejus prærogativam laceſſendo depoſuerit, *Lib. 5. Apophth. ex Plut.*

Athenienſes legationem ad Philippum miſerant. Ea benignè audita, ut humaniter dimitteret, juſſit illos dicere, qua in re gratum facere poſſet Athenienſibus, hic Demochares excipiens, Si teipſum, inquit, ſuſpendas. Is Demochares unus fuit è legatorum numero ob linguæ procaciam dictus Parrheſiaſtes. Ob tam inhumanum reſponſum indignantibus regis amicis, Philippus compeſcuit eos, juſſitque ut Therſitem illum incolumem dimitterent. Tum ad cæteros legatos converſus Renuntiate, inquit, Athenienſibus, multò ſuperbiores eſſe, qui iſta dicunt, quam qui impunè dicta audiunt. Tales demum animi regno digni ſunt. *Plut. in Apophth.*

D Indignantibus Philippi amicis, quod Peloponneſii eum Olympiacis ipſum ſibilis deriderent, præſertim beneficiis à rege affecti, hoc ſermone Philippum extimulantibus ad vindictam: quid igitur, inquit, futurum eſt ſi quid illis faciamus mali? Urbaniſſimè, amicorum argumentum vertit in diverſum: Si tam pravo ingenio ſint, ut eos irrident, qui de ipſis bene meriti ſunt, gravius nocebunt, ſi quis illos malefactis provocet. Hoc non ſolùm moderationis, & clementiæ, verum etiam eximiæ cujuſdam magnanimitatis documentum fuit ingratorum ſibilos regem negligere. *Plut. in Apophth.*

Quibuſdam Philippo Macedonum conſulentibus, ut cum Athenienſibus aſperius ageret: reſpondit illos abſurde facere, qui homini cuncta ad gloriam tum agenti, tum patienti ſuaderent, ut gloriæ ſuæ theatrum abiiceret, ſignificans, ſeſe hoc agere, non ut Athenas everteret, ſed ut civitati celeberrimæ doctiſſimorum virorum copia florenti ſuas virtutes probaret. *Plut. in Apophth.*

Alexander, cùm Poro Indorum Regi victo obtuliſſet, ſe daturum quicquid peteret, & Porus, ut regulariter tractaretur petiiſſet, ſubridens; Faciam hoc, ait, non tua, ſed mea cauſa. Non ignoravit autem rex bellicoſiſſimus, nil adeò decere, ac ornare principem, quam ſi clementia utatur E erga etiam quos novit hoſtes fuiſſe atrociſſimos. *Bruſ. lib. 3. cap. 13.*

Idem Alexander tantæ fuit clementiæ, ut Darius precaretur à Diis, ut aut ſuperare poſſet clementia Alexandrum, aut ſi is regno ſpoliaretur, ſolus Alexander in Perſarum regno imperaret. *Bruſ. lib. 3. cap. 13. ex Plut. Q. Curtio, & aliis.*

Porſena demiratus egregium animum Mutii Scævolæ, qui iratus dextræ ſuæ, quod in ſtringendo ferro erraſſet, foculo impoſitam eam exuri paſſus eſt, dixit illi. Revertere ad tuos, Muti; eiſque refer, te, cùm vitam meam petieris, à me vita donatum. *Liv.*

Livius fuſo Haſdrubale, nonnullis ſuadentibus, ut hoſtes ad internecionem inſequeretur: Aliqui inquit, & ſuperſint; qui de victoria noſtra nuntium hoſtibus perferant. *Eraſm. 6. Apophth.*

Scipio major dicere ſolebat, hoſti non ſolùm dandam viam fugiendi, verùm etiam muniendam, Docens, nequaquam ſæviendum eſſe in eos, qui ferre arma deſtitiſſent. *Ex Plut.*

M. BIBULUS, cùm in Syria duos egregiæ indolis filios amiſiſſet, à Gabinianis militibus occiſos, & horum interfectores F Cleopatra ad illum vinctos miſiſſet: ut in filiorum interfectores pro arbitratu ſuo animadverteret, ille protinus interfectos remiſit ad Cleopatram. *Eraſm. lib. 6. Apophth.*

M. BRUTUS, cùm inter conjuratos deliberaretur, an unà cum Cæſare occidendus eſſet Antonius, diſſuaſit, dicens. Hoc negotium, quod pro legibus, ac jure ſuſciperetur, oportere omni carere injuria: Noluit vir optimus cædem in plures proferri. *Plut. in Brut.*

Cato major admonebat eos, qui potentes eſſent, ut parcè uterentur ſua poteſtate, quo ſemper uti poſſent, ſentiens, potentiam clementia, & comitate fieri diuturnam, ferocia brevem. *Plut. in Apophth.*

Cùm Cæſar rerum potitus Pompeii ſtatuas dejectas honorificè repoſuiſſet; Cæſar, inquit Cicero, dum Pompeii ſtatuas reponit, ſuas ſtabilit, ſentiens, illum hoc non in Pompeii gratiam facere, ſed ut ſibi clementiæ ſimulatione favorem apud cives conciliaret, atque hoc pacto ſuum regnum conſtabiliret. *Plut. in Apophth.*

Jul. Cæſ. tanta clementia ergà hoſtes, & rebelles uſus eſt, ut G Marius non ſemel dixerit: Cæſar, qui apud te audent dicere, magnitudinem tuam ignorant: qui non audent, humanitatem, & clementiam. *Bruſ. lib. 3. cap. 13.*

Timagenes hiſtoriarum ſcriptor multa petulanter in Cæſarem, multa in uxorem, multa in totam illius domum dixerat. Cæſar illum admonuit, ut moderatius lingua uteretur. Cùm perſeveraret male loqui, nihil aliud, quàm domo ſua illi interdixit. Timagenes autem libros, quos ſcripſerat, acta Cæſaris continentes, recitavit, & combuſſit in odium Cæſaris, quaſi rerum ab illo geſtarum memoriam abolere cupiens. Hunc tamen palàm, & pertinaciter inimicitias exercentem cum Cæſare, nemo civium Romanorum ab ædibus ſuis excluſit: nam in domo Pollionis Aſinii conſenuit. Nunquam tamen Auguſtus cum hoſpite inimici expoſtulavit, niſi quod quodam tempore illi dixit θηριοτρέφεις, id eſt, alis beſtiam ſive viperam. Mox Pollionem parantem excuſare ſe interpellavit, dicens; Fruere, mi Pollio, fruere. At cum Pollio nondum ſecurus diceret; Si jubes Cæſar, protinus illi interdicam domo mea. An iſtud, inquit Auguſtus, me facturum putas, qui vos redegerim in gratiam? Fuerat anteà Timageni iratus Pol- H lio, nec aliam habebat deſinendi cauſam: niſi quod illi Cæſar iraſci cæperat. Utriuſque malevolentiam boni conſuluit Principis Clementia. *Ex Suet.*

Lex erat, ut qui patrem occidiſſet, culeo inſueretur: nec hæc pœna ſumebatur, niſi de confeſſo. Ab hujus pœnæ atrocitate Cæſar, ut liberaret manifeſti parricidii reum, ſic interrogavit; Certè patrem tuum non occidiſti: anſam porrigens inficiandi. Tanta erat principis in judicando lenitas. *Eraſm. 4. Apophth.*

Quidam è turba ſtatuæ Cæſaris coronam lauream impoſuerat, candida faſcia præligatam: at cùm Tribuni detracta faſcia hominem in vincula duci juſſiſſent, Cæſar graviter increpatos eos poteſtate privavit: idque, ne regnum affectare videretur cauſatus eſt, per illos ſibi recuſandi gratiam fuiſſe ademptam. *Lib. 4. Apophth.*

Auguſtus, Alexandriam urbem munitiſſimam cùm vi cepiſſet. ☞ *Vide infrà, Clementia erga hoſtes.*

Idem in villa quadam inquietas noctes agebat, interrumpente ſomnos ipſius noctua cantu. Miles aucupii peritus curavit

ravit apprehendendam noctuam, ſpeque ingenti præmii ad A Auguſtum pertulit, laudato Imp. mille nummos dari juſſit; ille autem auſus eſt dicere; Malo vivat, avemque dimiſit. Quis non miretur hanc contumaciam impunè ceſſiſſe militi: *Ex Suet.* Æmilius Ælianus cùm accuſatus eſſet, quòd malè loqueretur de Cæſare, Auguſtus reſpondit nil aliud quàm: Si malè loquitur, ſciat, me quoque linguam habere: plura enim loquar de eo viciſſim. Mira Cæſaris clementia, qui maledicum pro ſuo jure immaniter tractare potuiſſet. *Eraſ. lib.4. Apopht.* Tiberius, cùm ad eum ſcripſiſſet, quàm malè à quibuſdam hominibus lingua inſectaretur, reſpondit: Satis eſt, ſi hoc habemus, modò ne malefaciant nobis. *Ibid. in ſuo.*

Nero. Cùm ex more cujuſdam capite damnati cauſæ ſubſcripturus eſſet Nero: Utinam, inquit, literas neſcirem. Vox parſimoniam humani ſanguinis promittens, ſi ex animo prodiiſſet. *Senec. lib.2. de Clement.*

Trajanus, cùm ſua clementia, & humanitate anteceſſores ſuos omnes ſuperaret, amicis aliquando culpantibus, quod nimis clemens erga ſuos eſſet, reſpondit; Talem ſe Imperatorem eſſe privatis, quales eſſe ſibi Imperator privatos optaret. B *Bruſ. lib.3. cap.4.*

T. Veſpaſianus, fratrem Domitianum inſidias molientem non eſt ultus, ſed his verbis admonuit: Quid opus te parricidio petere, quod me volente obventurum eſt, immò, quod jam habes, imperii particeps: In Chriſtiano vix reperias tantum manſuetudinis. *Eraſm. lib.8. Apopht.*

Antoninus Pius. Caſſium ſenatorium virum occidi paſſus eſt, non juſſit occidi, poſt etiam extinctum doluit, dicens; Voluiſſe ſe ſine ſenatorio ſanguine imperium tranſigere. Mira clementia in affectatorem imperii, *Jul. Capit.*

Hadrianus adeò contempſit inimicos, ut uni, quem habuerat capitalem, fortè obvio dixerit, Evaſiſti. Principibus in privatis offenſis debet eſſe ſatis, potuiſſe ulciſci. *Dion.*

Theodosius junior rogatus, cur neminem eorum, à quibus lædebatur, ſupplicio capitis afficeret? reſpondit; Utinam mihi liceret, & mortuos ad vitam revocare. *Spieg. in lib.2. cap. 47. Panorm. de rebus geſt. Alphonſi.*

Idem, cùm in Amphitheatro Conſtantinopoleos ſederet C ſpectator, & populus damnatos efflagitans clamaret; Crudeli beſtiæ artifex objectus pugnet: compeſcuit immitem turbæ vocem dicens; Neſcitis, inquit, quod nos conſuevimus clementer ſpectare, innuens, ubicumque adeſt princeps, illic oportere omnia mitius geri. *Eraſm. lib.8. Apopht.*

Aurelianus Cæſ. cùm Tianam veniſſet eamque occluſam reperiſſet, iratus dixit; Canem in hoc oppido non relinquam. Hac voce milites erecti ſunt in ſpem prædæ. Urbe autem capta, militibuſque ex Cæſaris promiſſo direptionem oppidi flagitantibus, reſpondit: agite, canem me negavi relicturum, canes omnes occidite. Et ſic promiſſis ſatisfecit, & clementer hoſtes ſuos tractavit. *Flavius Vopiſcus.*

Alexander Severus. Amico ejus improbante humanitatem, & clementiam, Mammea, mater, utroque Memmia, ſæpè dicerent, Molliorem tibi poteſtatem, & contemptibiliorem imperii feciſti: reſpondit, ſed ſecuriorem, & diuturniorem. *Bruſ. lib.3. cap. 13.*

Idem, Ovinius Camillus antiquæ familiæ ſenator, cùm rebellionem moliretur, & tyrannidem affectaret, hominis fraude intellecta, ad ſe vocari juſſit, & egit gratias, quod Reipubl. curam ſua ſponte ſuſcipere tentaret. Mox ad Senatum proD ceſſit, ac tanti ſceleris conſcientia trepidum, conſortem imperii appellavit, in palatium recepit, ornamentis imperialibus, & melioribus, quam utebatur ipſe, decoravit, profectioniſque comitem adhibuit. Cùmque Imp. ipſe pedibus iter faceret, invitavit Ovinium, & equo ſedere juſſit: denique mori paratum dimiſit. *Ælius Lamprid.*

De clementia Auguſti Cæſaris contra L. Cinnam. ☞ *Vide infrà, Tit. Clementia reſpectu finis conſiderata.*

* RECENTIORA. Puta Sanctorum hominum, Imperatorum, & aliorum Fidelium.

Ex Apophthegm. Chriſtian. L. Beyerl.

Ingrediuntur Clementiæ, manſuetudiniſque fines: cujus nomen cùm ex ipſo Numine petitum ſit, obviàm quoque, & paratam habet commendationem. Ante omnia autem ipſum totius manſuetudinis fontem referam Chriſtum Dominum cujus humaniſſima facta, ut ſileam unicum tamen ſermonem ejus rei indicem recenſebo. Manſuetiſſimus agnus ad victimam currit, maledicitur, & irridetur: ſeque in exemplum no- E bis præbens, Diſcite, inquit, à me, quia mitis ſum, & humilis corde; & invenietis requiem animabus veſtris. Veram nempè requiem, in cœlo, & in terra: dicente Propheta; Manſueti hæreditabunt terram, & delectabuntur in multitudine pacis. *Matth. cap. 11.*

S. Anselmus. ☞ *Vide educatio liberorum.*

Constantinus Imperator Princeps fuit admodùm præſtans, & in eo clementiæ virtus inſigniter enituit. Hujus ſtatuam turpiter deformatam furioſi quidam dejecerant, cùmque Imperatoris familiares, ac domeſtici quidam ei dicerent, hanc injuriam in ipſum factam, & eum inſtigarent ad exemplum ſeveritatis in illos edendum, ſubridens, manuque per vultum ducta, Ego, inquit, nullum vulnus ſentio. *Apud Petr. Ribaden. de Principe Chriſt. lib.2. cap. 18.*

Cùm populus Antiochenus miſſum à Theodoſio Præfectum levi de cauſa peremiſſet, & eam ob rem ex illis multi detinerentur in cuſtodia, multi profugiſſent, & reliqua civitas periculo conſternata in magno eſſet metu; Flavianus Epiſcopus Antiochenus, omnium civium nomine legatione fun- F gens, Imperatorem adiit, pro remiſſione criminis ſupplicaturus. Pepercit clementer Theodoſius; factaque condonatione, urſit vehementer Epiſcopi ad ſuos reditum, ne ex reditus ſui tardatione triſtitia prolongaretur, ſed de venia certiores, ab anxietate, & dolore, quo tabeſcebant, reſpirarent: qua benignitate Theodoſius non tantùm Antiochenorum civium, ſed etiam omnium, qui imperio ejus parebant, animos ad ſui amorem, & benevolentiam pellexit: Et principis non minus pii, & clementis, quam fortis, & magnanimi gloriam conſecutus eſt. Idem Imperator legem ſanxit, cujus hæc eſt formula: Si quis modeſtiæ neſcius, & pudoris ignarus improbo, petulantique maledicto nomina noſtra crediderit laceſſenda, ac tumulentia turbulentus obtrectator temporis fuerit: eum pœnæ nolumus ſubjugari, neque durum aliquid, neque aſperum ſuſtinere: quoniam ſi id ex levitate proceſſerit; contemnendum eſt: ſi ex infamia; miſeratione digniſſimum: ſi ab injuria, remittendum. Unde integris omnibus ad noſtram ſententiam referantur, ut ex perſonis hominum dicta penſemus, & utrùm prætermitti an exquiri debeat, cenſeamus. G Hæc legis verba clementiſſimo Imperatore digna, quæ habentur *Lib. 6. tit. 4. L. ſi quis Imper. D. Chryſ. hom. 20. ad pop. Antioch.*

Adjungit ſe illi Conſtantius, qui cùm raptorem cujuſdam virginis in exilium relegaſſet, & indignarentur parentes, non eſſe morte mulctatum; Hactenus, reſpondit, incuſent jura clementiæ: ſed Imperatorem, mitiſſimi animi legimus, præſtare cæteris decet. *Auct. Serm. conviv. Item in vita ejuſd.*

Admirandam Carolus Magnus inter noſtros gloriam, & gratiam hac quoque virtute collegit: ut enim Pipinum filium tranſeam, cui tertiò, quòd in ſe conjuraverat, clementer ignovit; ad filiam veniam. Erat Eginhartus in aula Carolo ab epiſtolis vir, ut illo ævo, doctus, & prudens. At quid non facit cæcus amor? in filiam Domini ſui exarſit? & ipſa in eum viciſſim, quid facerent? reſtinguunt (ut ſolent amantes) furtiva ſui copia, & congreſſu: qui aliquamdiù latuit, donec hyemante quadam nocte, cum in ſecretiore cubiculo Eginhartus fuiſſet, & ſub ipſam lucem exire vellet, videt multam nivem cecidiſſe: hæret, & timet ne à veſtigiis deprehendatur vir in gynæceo fuiſſe. Conſilio, & aſtu ſubvenit amica, & illum in humeros ſublatum, & pendentem, dulce onus tulit. Ecce H ò ſortem miſeram; æquam tamen. Videt id fortè ex ſuperiore domus parte auram captans Carolus: diſſimulat, donec pleno die Principum conventus. Hic rem narrat, rogatque (at nomina ſuppreſſit) qua pœna famulus, qui ſic in Dominum, & filia, quæ in patrem peccaſſet, digni? cui illi, Mortis. Tum utrumque vocat, & coram ſe ſiſtit. En, inquit, hi ſunt, qui peccaverunt. Tu Eginharte, tu filia, qui hoc auſi eſtis (nec negandi erat locus; patrem, ac Dominum, inſpectorem, accuſatorem, judicem, & vindicem habebant.) Quid meruiſtis? Mortem, inquiunt illi: at Carolus. Tamen mitem tu Patrem, tu Dominum videte. Ignoſcimus lege hac, quam dicam. Eginharte, hanc tuam latricem uxorem duces: concordes eſtote, & mutuum deinceps inter vos ferte. Dixerat, illi à ſummo metu in gaudium inſpectatum tranſlati, grates agunt, & gratulationes futuri connubii accipiunt. *I. Lipſ. Mon. polit. lib.2. cap. 12. num. 12.*

Nec nimis ſeverum eſt, quod addam. Cazimirus Dux Sendomirienſium, qui poſteà Polonorum Rex, dum tempus aliquando falleret per luſum aleæ cum domeſtico ſuo Joan. A Conario equite, & alternaret (uti illis fit) Fortuna: cùm multa nox eſſet, placuit uno jactu de tota ſumma decidere. Is felix Cazimiro fuit, qui pecuniam ad ſe attraxit. Indignatus eques, & ſorti ſuæ iratus, per calorem Principem invadit (capitale erat) & beneficio noctis evadit: primo manè Cazimiro ſiſtitur puniendus. Expectatis hic vindictam, aut ultionem, licet æquam, Nequaquam: at re bene conſiderata, Princeps, Amici, inquit, iſte minus, quàm ego peccavit: immò quidquid peccatum eſt, meum eſt. Calor mentem, & manum ei movit: at ego cur cauſam præbui, & oblitus conditionis meæ, quaſi cum pari luſi? Immò tu Joannes, non veniam à me ſolùm, ſed & gratiam accipe: utili me caſtigatione docuiſti, ne quid impoſterum Principe indignum committam. Ita dixit, fecitque. En clementiam, patientiam, prudentiam. *Ibid. Beyerl. in Apopht. Chriſtian.*

Rudolphus Imperator Auſtriacus, etiam cùm poſt morum mutationem clementior factus eſſet, quam in ipſo Imperii exordio; reprehenſus, in prudentem hunc ſermonem erupit; Severum, & immitem fuiſſe me aliquando pœnituit: lenem, & placabilem, nunquam. Memoranda; & verè ImB peratore digna vox. *Ex Æn. Sylv. lib.2. Com. de reb. geſtis Alphonſi. Idem ibid.*

In Ludovico XII. Galliæ rege etiam ſpectabilis hæc virtus fuit, cùm enim in Regem eſſet evectus, acceſſit magna cum fiducia è domeſticis unus, poſtulans bona civis cujuſdam Aurelianenſis, qui (triſti illo tempore, quo inter Ludovicum, & Carolum octavum gravis illa ſimultas, & diſſidium) ex acerrimis Ludovici hoſtibus fuerat. Rex animo planè regio, Tu verò aliud à me pete, inquit, & meritis tuis gratia erit. De iſto, omitte: nam Rex Galliæ (verba ejus ſunt) non ulciſcitur injurias ducis Aurelianenſis. Dux enim antea cum hoc titulo fuerat, ſignificabat ergo, dignitatem ſe, atque cum ea etiam affectus mutaſſe. *Refert Juſt. Lipſ. ſupr. Beyerl. ſuprà.*

Tempora confundimus, at in re eadem. Orta in Hibernia aliquando gravi inter Mumoniæ Regem, & fratrem ſimultate, factum, ut à fratre Rex regno pelleretur. Pulſus ad Malachiam Epiſcopum fugit, à quo regio honore excipitur, ac ſimul ab eo inſtigatur, regnum quo C per injuriam pulſus erat, per vim reciperet: cui ille, Nequaquam id fecero, ait: nolo enim pro terreno meo honore humanum ſanguinem effundere, qui contra me de terra clamet ad Dominum. Docuit ex neceſſitate parandam virtutem. *Coll. ex Surio tom. 6. in vita S. Malachiæ. Beyerl. ibid.*

Te autem, Alphonſe, Aragoniæ Rex ſilerem? qui hic parem vix ullum, at ſuperiorem certè neminem habuiſti. Obſidebat Cajetam pertinaciter rebellem, conſtabat obſeſſos inopia commeatuum premi: quod ipſimet faſſi, inutilem turbam emittebant. Agitatum in conſilio eam repellere in urbem, dedendam enim mox hac ratione: at noluit Rex eorum miſertus; quare cùm ea potitus non eſſet, quidam obiicere auſi, Niſi illos emiſiſſes, jam urbe potitus eſſes. Ille fortiter, & conſtanter, At mihi, ajebat, pluris tot hominum incolumitas eſt, quàm centum Cajetæ. Tamen nec ea defuit: nam cives tam inſigni virtute moniti, ultrò ſe ei tradunt. Meminerat clementiſſimus Princeps illius Senecæ, quod

quiſquis eſt placidè potens,
D *Dominuſque vitæ ſervat innocuas manus,*
Et incruentum mitis imperium regit,
Animoque parcit: longa permenſus diu
Felicis ævi ſpatia, vel cœlum petit,
Vel læta felix nemoris Eliſii loca.

I. Lipſ. loco cit. Panorm. lib.1. de Geſtis ejuſd. Beyerl. ibid.

Idem percontanti, cur erga omnes, etiam malos, ita lenis eſſet, vocem factis conſonam reſpondit: Quia bonos juſtitia conciliat, malos clementia. *Panorm. lib.2. de Geſt. Alphon.*

Iterùm cùm de nimia ejus lenitate quererentur miniſtri, eamque vix Principem decere dicerent: Quid ergo, inquit, vultis urſos, & leones regnare? Hominum clementia, belluarum feritas propria eſt. Vera dixit. Quo quis major, & magis (ut ſic dicam) homò eſt, hoc virtuti huic pronior, quæ ob id humanitas appellatur. Quare ſapienter admodùm *Juvenal.* de hac virtute verba faciens *Sat. 1.* ait:

Separat hæc nos
A grege brutorum: atque ideò venerabile ſoli
Sortiri ingenium, divinorum capaces.

& paulò poſt:

Principio indulſit communis conditor illis
Tantum animas, nobis animum quoque, mutuus ut nos E
Affectus petere auxilium, & præſtare juberet.

Panorm. ibid. Beyerl. ſuprà.

Ejuſdem etiam illa vox; Malo multos mea clementia ſervare, quàm paucos ſeveritate perdere. Unde etiam dicenti ſibi cuidam: Cave, ne tua hæc clementia in perniciem cedat: Immò verò, reſpondit, multa mihi perferenda ſunt, ne in invidiam cadam. *Ibid.*

Quid maximè adverſarios flecteret, rogatus; Placabilitatis, ait, & manſuetudinis nomen. Unde dum contra Venetos, & Florentinos haud equidem injuria bellum ſuſcepiſſet, ac magno animo, & viribus adversùs eos contendiſſet, Veneti oratores armato obviàm procedunt, pacem humiliter poſtulant, cujus conditiones, cùm ejuſdem proceres intelligere deſiderarent, ac ſe facilè quidvis à victo hoſtè impetraturos dicerent, Alphonſus reſpondiſſe fertur: Nullum aliud datæ pacis pretium exiſtimo, quàm hoſtibus genibus ad me advolutis pacem dare. O clementiam penè è Potentum pectoribus proſcriptam. *Ex Panorm. lib.1. de Geſtis ejuſd. Idem ibid.*

Et te unicum manſuetudinis præſidium, Carole V. Cæſar, F in extremo hoc agmine colloco. Illi enim nihil gravius, ingratiuſque, quàm aliquem capitis damnatum intelligere. Quare cùm in Anglia nobiliſſimum quendam juvenem ſententia Volſæi, qui judiciis præerat, damnatum audiviſſet, pulchrè ludens, Indignum, ajebat, à cane lanii tam pulchram damam devorari: nam ille, qui tot annis lanienam in Anglia exercuerat, lanii filius erat. Præclarè *Ovid. ad Cotim.*

Conveniens hominum eſt hominem ſervare voluptas:
Et melior nulla quæritur arte favor.

Ex Chyt. in Orat. de Carol. V. Imp. Idem.

* REQUISITA AD CLEMENTIAM.

Ad clementiam ut in actum externum exire poſſit, tria requiruntur. Primò, Poteſtas puniendi; quæ tantùm reperitur in Superioribus: Unde hæc virtus eſt propria Superiorum, & maximè Principum, qui pœnas legibus definitas poſſunt mitigare.

Secundò, ut mitior pœna irrogetur, quàm jure irrogari G poſſet. Eſt enim clementia quædam gratia, & condonatio, non perfecta (diſtinguitur enim à venia) ſed ex parte, ita ut juſtitiæ vindicativæ officium non excludat, ſed ſolùm aſperitatem nonnihil mitiget.

Tertiò, ut id proveniat ex animi lenitate; qua fit, ut quis proximo benignè afficiatur, ejuſque commodis faveat, incommoda abhorreat. Itaque ſi quis pœnam ſonti mitigat inductus pecunia, vel amicitia, vel timore; non erit formale officium clementiæ: quia non ex affectu hujus virtutis, ſed ex alio motivo id facit: dicetur tamen actus clementiæ, quia ratione materiæ ad hanc virtutem pertinet.

* MOTIVA.

Ad clementiam porrò, quæ moveant, præcipua ſunt iſta. Primum Exemplum Dei, in quo maximè hæc virtus elucet: quam exigua pœna finit in hac vita innumerabilia peccata lui: quorum ſingula æternos cruciatus merebantur. Unde meritò *Pſalm.* 144. Suavis Dominus univerſis, & miſerationes ejus ſuper omnia opera ejus. *Et Sap.* 11. Parcis omnibus, quoniam tua ſunt, Domine, qui amas animas. O quàm bonus, & ſuavis eſt Domine ſpiritus tuus in omnibus! In futura vita etſi ſum- H mam ſeveritatem exerceat, quatenus de pœna ſtatuta nihil remittit; in eo tamen eſt aliquid clementiæ, quod minorem ſtatuit, quàm jure potuiſſet, non continens in ira miſericordias ſuas, ut communiter Theologi tradunt.

Secundum eſt, Conſideratio modi, quo peccatum commiſſum eſt; ut ſi perpetratum ex aliqua ignorantia, vel paſſione; quo pertinet, ſi ex paupertate, ex prava inſtitutione, ex gravi tentatione, ſi injuria provocatus, ſi ex ebrietate, vel inconſideratione: hæc enim omnia apta ſunt flectere animum ad clementiam, & ad mitiora in pœna ſtatuenda.

Tertium, Cogitatio illa, qua quiſque apud ſe ſtatuere debet, ſimilia, vel graviora fortaſſe ſe perpetraturum fuiſſe, ſi divina gratia deſtitutus, & in ſimilibus occaſionibus deprehenſus fuiſſet: nullum enim peccatum facit homo, quod non faceret alius homo, niſi juvaretur ab eo, per quem factus eſt homo, ut quodam loco D. Auguſtinus ait.

Quartum eſt, Clementiæ fructus: conciliat enim Principi morem ſubditorum, præſtat ei ſecuritatem, & confirmat regnum. Unde *Prov.* 28. dicitur; Miſericordia, & veritas cuſtodiunt

diunt regem, & clementia roboratur thronus ejus. Et contra- A riò crudelitas alienat animos, parit odia, & inimicos plurimos, à quibus aſſidua pericula, & everſio ſtatus impendent. Sicut enim præciſæ arbores plurimis ramis pullulant; ita Principis crudelitas auget numerum inimicorum, ut rectè quodam loco dixit Seneca.

CLEMENTIA IN MODERANDA IRA.
MODERATIONIS IRÆ ACQUISITIO.

HUC PERTINENT MAGISTRI.

QUI. QUALES. PUTA.

Sacri homines.

Telemachum, ſanctum virum, memoriæ tradunt, cùm Romæ in Amphitheatro gladiatores ſpectaret, & illi mutuis ſe vulneribus conficerent, proſiliiſſe in arenam amenti ſimilem; & medium inter illos alterni utrumque complectentem excla- B maſſe. Quid facitis, fratres? quæ cauſa eſt tantæ diſcordiæ? ☞ *Vide Tit. ſeculi Monach. ſeculi* 5.

Paſtor Scythiotici cœnobii Abbas, interrogatus ſuper illud Evangelii, qui iraſcitur fratri ſuo ſine cauſa: ſolam juſtæ iræ cauſa definivit ſeparationem à Deo: cæteris quamlibet magnis injuriis acceptis, qui iraſcitur, eum ſine cauſa iraſci. Igitur cùm offenſis laceſſimur, meminiſſe debemus, nos non habere indignationis cauſam, ſed ſapientiæ, *Marul. lib.3.cap.6.*

Gratianum Imperatorem gentilium quidam conviciis proſciderat, cumque à patre ſuo degeneraſſe dixerat. Capitis ergo damnatus fuit. At Ambroſius Epiſcopus Mediolanenſis, properè ad Imperatorem contendit, cumque in theatro venationibus indulgere animadvertens, cum alia via non poſſet cum venatoribus theatrum ingreditur: neque inde priùs eſt egreſſus, quam Gratianum, & eos, qui cum eo erant, de abſolvendo homine permoviſſet. *Niceph. lib.* 12. *cap.* 41.

CHILDERICUS Francorum Rex, cùm de magna noxiorum C manu ſupplicium ſumere ſtatuiſſet, accepiſſetque D. Genovepham pro his oraturam adventare, portas arcis continuò claudi imperaſſe ferunt, quibus aditus inhiberetur. At illa intellecto regis conſilio, ad eum nihilominus contendit. Cui tactæ manu continuò fores patuere. Ante regem conſtituta, præ rei miraculo cunctorum capitalium impunitatem facilè impetravit. *Bonfin. lib.* 5. *Dec.* 1.

STEPHANUS IV. Papa à Ludovico Pio Imperator impetravit, ut exulibus omnibus, & captivis, quos ſceleris convictos in Leonem III. admiſſi Carolus M. mulctarat, redire ad urbem Romam licere. *Plut.*

Reges, Principes.

ARTOXERXES Perſarum Rex, miſſis legatis hortatus eſt Græcos ad deponenda bella, & pacem communiter faciendam. Quàm ob cauſam Laconicum, & Bæoticum bellum finem accepit, cùm antè plures quàm quinque annos ſtatim à Leuctrica clade initium ſumpſiſſet. *Diod. lib.*15.

NUMA Rex Rom. Janum in ima parte Argileti fecit, pacis, & Belli indicem, ut cùm civitas in armis eſſet, pateret id templum, rurſus ea pacata clauderetur. Locum hunc ipſe clauſit, ut per id civibus, & finitimis futuræ pacis ſtudium D indiceret. Cæterùm Hoſtilius confeſtim Numa defuncto id aperuit, nec ampliùs, quàm bis deinceps eſt clauſum, M. Attilio, & T. Manilio conſulibus, poſt primum bellum Punicum perfectum: tertiòque, Auguſto principe terra marique pace parta. *Sab. lib.* 3. *Æn.* 2.

* CAROLUS Magnus gloriam, & gratiam hac quoque virtute collegit: Pipinus ejus filius in patrem conjuraverat, res clara erat, ignovit: fecit iterùm, ignovit: at ne tertium tamen tam lubrica mens laberetur, adſtringendum religione cenſuit, & monachum eum fecit, Duplici beneficio, & veniæ, & viæ ad meliùs regnum oſtenſæ. *Fulg. lib.* 5. *cap.* 9. *Egnat. lib.* 5. *cap.* 9.

* Ludovicus Pius Imp. Theoduph. Epiſcopum Aurelianenſem (cujus conſilio, & inſtinctu à Lothario filio, regno pulſus, & in cuſtodiam traditus erat) cum aliquamdiu in carcere habuiſſet, illæſum dimiſit, unico hymno;

Gloria, laus, & honor tibi ſit, Rex Chriſte redemptor, &c.

placatus. *Albert. Crantz. lib.* 1. *cap.* 27. *Metrop.*

TOTILAS Gothorum Rex, capta Roma militum licentiam cohibiturus, inquit: Paucis anteactis annis ducenta Gothorum millia ſeptem millibus vicit Beliſarius: ego non totis E quatuor millibus viginti Græcorum millia ſuperavi, & jam urbem Romam orbis quondam dominam ſub pedibus teneo. Proinde ne ſuperbiamus, Deum timeamus, victoriam clementer exerceamus, mutationemque fortunæ, quæ nobis ſuperiore bello totam Italiam, præter Veronam, Ticinum, Tarviſium, ademit, ante oculos habeamus. *Procopius.*

Duces.

Joſephus Galilææ præfectus, gliſcente jam bello Judaico, omni ſtudio ſuos à ſeditionibus cohibuit, ſeditioſos aliquot, cùm poſſet occidere, ſervavit. Atque id non ſemel tantùm, ſed ſæpè. Capta Sephoritarum urbe, qui ad Romanos defecerant, cùm Galilæi milites internecione cives omnes delere vellent, Joſephus finxit, diverſa parte urbis Romanos irrupiſſe. Quo nuncio territi, relictis rapinis, Joſephum fugæ authorem ſecuti, urbem incolumem reliquerunt. *Joſeph in ſua vita.*

Ageſilaus Lacedæmonius ſæpè milites monuit, ne captivos cruciatu aliquo afficerent: quin illa potiùs reputatio ſubiret animum, eos homines eſſe. Si qui ex his cùm caſtra moverentur, ob ſenium, aut corporis ægritudinem à mili- F tibus relicti eſſent, parati erant ducis imperio, qui eos exciperent, exceptos humanè curarent: ne omni ope deſtituti, ferarum incurſu, inediave conficerentur. *Sab. lib.* 6. *cap.* 4. *ex Plut.*

Chabrias Athenienſis militibus dixit: Si pugnam inibimus, ne putemus nos cum hoſtibus manum conſerere, ſed cum hominibus ſanguine, ac carne præditis, & qui naturam eandem, communemque nobiſcum habeant. *Polyæn. lib.* 3.

LADISLAUS Rex Ungariæ, ubi Hunnos, qui ex devaſtata Tranſylvania, & Ungaria magnam pecorum, hominumque prædam abduxerant, prælio fuſos fugere vidit: Parcite exclamavit, parcite humano ſanguini, ò milites: ſat cruoris hoſtilis effuſum eſt; fugientem capite multitudinem, ut ſi forſan Orthodoxam fidem amplectantur, populum Dei amplificemus. *Bonfin. lib.* 4. *Dec.* 2.

Philoſophi.

Armeniorum Regem Medis rebellantem, Cyrus Perſa ceperat, & propria confeſſione morte dignum judicarat. At G filius Armenii Tigranes, philoſophi cujuſdam inſtitutione, & conſervatione eruditus, philoſophicis rationibus Cyro perſuaſit, præſtabilius eſſe patrem in vita manere, vitaque & regno donatum, virtute Cyri in perpetuum devinciri: eo maximè, cùm pœnas omnium maximas jam dediſſe videatur, de ſua, ſuorumque ſalute deſperans. Metum enim gravius ſupplicium eſſe hominibus quovis alio corporis malo. Et hac ſanè philoſophia ſua, & patrem ab exitio præſente, & fratres cum uxore ſua à ſervitute liberavit. *Xenophon lib.* 3. *Pædiæ.*

Oratores.

Perhibent, cùm accuſaretur Ligarius, quòd hoſtis Cæſaris fuiſſet, defendente reum Cicerone, dixiſſe ad amicos Cæſarem. Quid obſtat, quin Ciceronem tanto intervallo audiamus dicentem, quando iſtum quidem jam dudum conſtat improbum hominem, & hoſtem noſtrum eſſe. Poſteà verò, quàm Cicero dicere orſus mirificè eum movit, variiſque affectibus, & mira gratia ejus progreſſa eſt oratio: colorem identidem Cæſaris faciem variaſſe, perſpicuumque fuiſſe omnibus, eum animi motibus verſatum. Denique ubi pugnam Pharſalicam orator attigit, fuiſſe uſque adeò permotum, ut toto corpore H tremuerit, ac libelli aliqui, quos tenebat manibus, ei exciderint. Ligarium igitur, eloquentia expugnatus, crimine abſolvit. *Plut. in Cic.*

Patres.

Ulyſſes non ſolùm ſe ſuſtinet excandeſcentem, ſed Telemachum etiam, quem ex verbis animadverterat infeſtum eſſe, & improborum hoſtem, retundit, & componit procul, ut quieſceret, & inhiberet ſe, præcipiens:

Suggillare domi inſiſtent me: ſed patienter
Fer mala noſtra: ſed & quamvis de limine noſtro
Raptatus pedibus fuero, jaculiſve petitus,
Tu tamen hæc ſpectans oculis tolerare memento.

Plat. de aud. Poet.

Magnus Sforcia Franciſcum filium graviſſimis præceptis monuit, ut neminem ſuorum, aut vulnere, aut duro verbere puniret: quod ſi id caſu aut ira præcipiti accidiſſet, extemplò lenitum, donatumque digno munere longius ablegaret. *Jovius in ejus vita.*

Alfon-

ALFONSUS Aragonius mittens Ferdinandum filium ſuum A magno cum exercitu contra Florentinos, admonuit, ut victoriam Deorum auxilio jam partam non crudelitate, & inſolentia defœdaret, ſed hoſtes, qui ſuæ fidei ſe permitterent, benignè ſuſciperet: & ſi qui ex his etiam obſtinati animis uſque ad extremam expugnationem perſiſterent, eos poſteàquam cepiſſet, non crudeliter tractaret, ſuæ potiùs manſuetudinis, quàm illorum pertinaciæ memor. *Panorm. de reb. geſtis Alfonſi.*

Filii.

CASSONUS Turrianus, Napi Mediolanenſis, populi contra Vicecomitum, & optimatum factionem ducis F. inſigni victoria de hoſtibus parta, pluribus captis, auctor fuit patri, ut æterno clementiæ pignore ſibi patricios conciliaret. *Jovius in vita Othonis Vicecomitis.*

Fratres.

RUBEN & Judas, fratres reliquos Joſeph perdere volentes, mitigando, venditionis auctores fuere. *Gen.* 27.

Mulieres.

ITHMACA ſeu Irene, Ptolemæi Phyſconis concubina, cru- B delem regis animum contra Judæos (quos ob expeditionem Oniæ adverſus ipſum pro matre in oppidis comprehenſos cum filiis, & uxoribus nudos, atque unctos elephantis vino ebriis ſubjecerat) mitigavit. *Joſeph. libro* 2. *contra Appionem.*

LIVIA, Auguſti uxor, cùm L. Cinnæ, Pompeii nepoti, ob ſtructas Cæſari inſidias, proſcriptionis formula dictaretur: ingreſſa uxor Livia: Fac, inquit, quod medici ſolent: qui ubi uſitata remedia non proſunt, tentant contraria. Severitate adhuc nihil profeciſti: ignoſce. Ejus conſilium ſecutus Cæſar, Cinnam verbis caſtigatum, beneficiiſque cumulatum amiciſſimum ſibi reddidit, hæredemque ſibi unicum nuncupavit. *Suetonius.*

QUOMODO. AD
Clementiam traducere.

Oratione ad Deum.

HIVO presbyter, cùm multis miraculis, tum in primis C pietatis operibus clarus, dolens quendam cum matre non levi odio diſſidere, poſtquam reconciliare nulla prorſus ratione quivit, Deo pro illis ſupplicavit. Exinde nemine jam ſollicitante: ſolo divino inſtinctu ita animis reſipuere, ut & hic filium ſe agnoſceret, & illa matrem. *Marul. l.* 3. *c.* 6.

Legibus.

LYCURGUS Spartanis præcepit, hoſtes in fugam verſos ne ultra ſequeretur, dum certa eſſet victoria. Neque enim Græcorum convenire moribus, eos trucidare, qui ceſſiſſent. Idque non ſolùm honeſtius, verumetiam utilius eſſe dicebat. Siquidem hoſtes, quibuſcum res eſt, ubi cognorint Lacedæmonios parcere cedentibus, occidere verò, qui loco non cedunt, ſibi conducibilius exiſtimabunt fugere, quàm perſiſtere. *Plut. in Lacon.*

Edicto.

NERVA Imp. cavit edicto, ne quis majeſtatis, aut Judaicæ ſectæ quendam accuſaret. Nam ſub Domitiano, ut tradit Suetonius, præter cæteros Judaicus fiſcus acerbiſſimè auctus eſt ad quem deferebantur, qui velut profeſſi Judaicam intra urbem viverent vitam, vel diſſimulata origine impoſita genti D tributa non pependiſſent. Cùm per calumnias multi eſſent damnati, Fronto conſul exclamavit, Malum eſſe eum imperare, ſub quo nemini quippiam conceſſum ſit: ſed multò pejus ſub eo vivere, ſub quo omnia maximè liceant. Eo dicto admonitus Nerva, talia deinceps inhibuit, jurejurando teſtatus, nullum ſe deinceps Senatorem necaturum, etiam deprehenſum adversùm ſe in conſpirationibus. Quod & præſtitit. *Cuſpin.*

HADRIANUS Imp. ſervos à dominis occidi vetuit: ſed ſi quid deliquiſſent, Prætoris judicio pœna affici præcepit.

M. ANTONINUS Pius conſuluit, Ne dominis plus æquo ſævire liceret, ſed loris tantùm ſervos cederent.

THEODOSIUS Magnus Imp. ob crudelitatem in Theſſalonicenſes exercitam, à D. Ambroſio Mediolanenſe Epiſcopo à ſacra communione excluſus, ſed acta pœnitentia receptus, edictum propoſuit, quale Valentinianus II. Ne capitales pœnæ ab Imp. injunctæ niſi poſt XXX. dierum ſpacium ſumerentur. *Sigon. l.* 9. *Imp. occid.*

FRIDERICUS I. Imp. ſubacto Mediolano, omnium ordinum conventu Roncaliis indicto, de pace Italiæ ſtabilienda con- E ſultavit, ſtatuitque, ne civitas civitatem, privatus privatum oppugnaret injuſſu regis: edictumque additum, ut ſi qua civitas hæc jura violaret, centenas marchas auri dependeret, ſi Marchio quinquagenas: ſi Comes, quadragenos: ſi capitaneus, ſeu alius valvaſor major, vicenas: alii verò denas uſque ad ternas. Qui ſolvendo non eſſent, per quinquennium quinquaginta millibus paſſuum longè à patria exularent. *Sigon. l.* 12. *regni Ital.*

Muſica.

Detrahunt præliantibus Lacedemonii per tibias iram. Muſiſque ante bellum ſacra faciunt, ut conſilium eos ne deſtituat: neque adverſos hoſtes inſectantur, ſed revocant iram ut modicos gladios reductu promptam, & expeditam. *Plut. de non iraſcendo.*

Præcepto, Conſilio, Adhortatione.

Herennius Pontius Samnitum dux, ad Candidas furcas duos conſulares Rom. exercitus incluſerat. Patrem igitur in tanta re conſulendum ratus, miſit, qui ab eo ſciſcitaretur, ecquid ſibi agendum putaret? Romanas legiones cum conſuli- F bus intra Candinas furcas à ſe jamdudum obſideri. Incolumes cum ſuis ducibus exercitus mittendos cenſuit ſenex. Quòd conſilium, cùm vulgo diſplicuiſſet, ſecundò ad eum filius miſit, qui iterùm ab eo ſciſcitaretur, quid opus eſſet facto? Videri ſibi, reſpondit, Romanos ad unum interficiendos. Herennius in tam diverſa ſententia anceps patrem in caſtra plauſtro advehi juſſit. Ibi ſenem coram ſciſcitatus, ecquid tam diverſæ in eadem conſultatione ſententiæ ſibi vellent? Tum ille: Videbam, inquit, conducere Samnitibus, ut cum potentiſſimo populo per ſummum beneficium pacem firmarent. Id quia diſplicuit, duos conſulares exercitus interficiendos duxi, ut res Romana, hujuſmodi clade afflicta, in plures annos acciſa juventute, minus formidabilis fieret. Tertium nullum eſſe conſilium affirmans, quod initium Samniticæ rei expediret. Quid, inquit, ille, ſi media quadam via ingreſſi incolumes dimittamus, & velut bello victi leges pacis à nobis accipiant? Iſtud, ait ſenex, neque amicos parat, neque hoſtes tollit. Servetis modò, quos ignominia irritetis. Ea eſt Romana gens, quæ ne victa quidem quieſcat. Vos quicquid feceritis, deos ſecundare volo. Atque his dictis, ſenex caſtris exceſſit. Pontius verò Romanos deditos ſub jugum mi- G ſit. Senatus Coſſ. vinctos Samnitibus dedit, bellumque indixit. Tum tandem Samnites ſenis Pontii conſilium, ſed ſerò, cognovere. Caſtris enim ad Luceriam exuti, & in urbe obſeſſi, deditique, ſeptem millia hoſtium ſub jugum miſſa. Præda ingens in urbe quæſita eſt, receptaque fermè omnia, quæ Romani ad Caudium amiſerant. Et quod omnium lætiſſimum fuit, Pontius totius gentis Imperator cum cæteris ſubjugatus. *Sab. l.* 5. *Enn.* 4.

ATHENODORUS philoſophus, cùm ab Auguſto abeundi veniam peteret, & ille munus aliquod Philoſopho dignum peteret, ſic locutus fertur. Cùm te, Cæſar, ira ceperit, nil priùs dicas, vel facias, quàm ipſa quatuor, & viginti elementa literarum Græcarum memoria recenſueris. Nimirum ut ita parvi temporis interjectu emollita relangueſcat. *Plut. & Sextus Aurelius.*

Cùm Antiocheni ſeditione mota ob tributorum exactionem ſtatuam Placillæ Imperatricis per urbem contumelioſè traxiſſent: Theodoſius Imp. illos non minùs quàm Theſſalonicenſes graviter puniturus erat, niſi D. Flaviani Epiſcopi eorum precibus, & D. Ambroſii auctoritate (qui nihil eum in ſontes ſtatuere, priuſquam trigeſimus dies exactus eſſet, jure- H jurando adegerat) motus fuiſſet. *Nicephor. l.* 12. *c.* 42. Ferunt ea nocte, quæ diem ſeditionis Antiochenæ ſub Theodoſio Imperatore excitatæ præceſſit, feminam ſublimem in aere conſpectam, magnitudine ingenti, aſpectu horrendo, quæ per urbis plateas in aere currens, flagello aerem diverberavit, ſimilem ſonitum edens, qualem edere conſueverunt, qui in caveis ad furorem beſtias excitant. *Niceph. lib.* 9. *cap.* 42.

Navigante Galeno Roma in patriam, comitem itineris habuit Gortynendam quendam è Creta, virum cæterà bonum, ſed in ſervos pluſquam iracundum. Corintho appropinquabant, & ſervi neſcio quid interrogati, cùm parùm appoſitè reſpondiſſent, Gortynenſis ille gladio vagina educto capita famulorum graviter vulneravit. Poſtera die ſuum peccatum agnoſcens, denudatum ſe, porrecto loro, quòd ita meritus eſſet, à Galeno verberari voluit, multiſque adeo penè minis obteſtatus eſt. Tum Galenus: Parabo inquit, ſi & tu

Q viciſſim

viciſſim exiguum quid mihi præſtiteris. Quod ubi recepit ſe A facturum ille, tum Galenus iracundiæ motum, ratione, non verberibus, & inhibendum, & coercendum, philoſophica diſputatione oſtendit, id quod neque uno die, neque uno anno præſtari poſſit, ſed longa aſſuetudine. Gortynenſis ergo lorum abjecit, præſtantiorem ſuperandæ, & ſedandæ iræ methodum edoctus. *Galen. de Cognoſcendis, & cur. animi morbis, cap.* 4.

Eulogius presbyter Alexandrinus, leproſum quendam domi ſuſceptum per annos XV. humaniſſimè aluerat. Sed cùm ab eo, cui, contempto contagioſi morbi periculo, ſuis ipſe manibus miniſtrabat, contumeliis afficeretur, Antonium Abbatem conſuluit, utrùm illum dimittere deberet. Ille verò utrique conſuluit: modicum adhuc ſuſtinerent, donec alter pietatis, & patientiæ ſtadium emetiretur: alter ingratitudinis vitium emendaret, ne graviorem animi, quàm corporis lepram incurreret. Itaque cùm admoniti tranquillius manere ſimul cœpiſſent, Eulogius dies XL. ſupervixit, leproſus die tertio poſt obiit. *Marul. l.* 5. *c.* 2.

B *Dehortatione, Obteſtatione.*

Onomademus Chius, poſtquam adverſam factionem ſuperaſſet, quibuſdam cenſentibus omnes diverſæ factionis urbe pellendos, negavit expedire dicens: Se vereri, ne omnibus inimicis ad unum ejectis, inter amicos exiſterent diſſidia. *Eraſm. l.* 6. *Apoph.*

Laconum duorum puerorum pugnantium alteri alter falce lethale vulnus inflixit. Cùm autem Pueri familiares expiraturo denunciarent, executuros ſe facinus, ac percuſſorem interempturos: Dii prohibeant, inquit, neque enim id rectum ſit. Idem ego, ſi prævertiſſem, & fuiſſem fortis, feciſſem. *Plut. in Lacon.*

Philippo defuncto immolare ob lætum nuncium Phocion prohibuit Athenienſem populum, quippe abjecti animi eſſe, malis exultare alienis: dicens exercitum, qui cum ipſis ad Chæroneam conflixerat, uno tantùm homine eſſe diminutum. *Plut. in Phocione.*

Phocion, cùm calix ei deferretur, rogatus, nunquid ad filium vellet: Hoc unum, inquit, ne quæ in nos admiſerunt Athenienſes, ad memoriam revocet. *Plut. in Apoph.*

C Dæmonax philoſophus, cùm quendam vidiſſet ſervum ſuum virgis tractantem: Deſine, inquit, te ſervo tuo ſimilem oſtendere. Servus enim eſt, qui ſuis affectibus, & cupiditatibus imperare nequit. *Eraſ. l.* 8. *Apoph.*

Perseus Macedoniæ rex à L. Æmilio P. in triumpho ductus cùm in carcerem profundiſſimum, & fœtidiſſ. cum liberis ſuis projectus eſſet, adeòque loco per ſeptem dies jacuiſſet: tandemque ei gladius ad occiſionem, reſtis ad ſtrangulationem projectus eſſet, data utriuſvis optione: L. Æmilius, curiæ præſes, & ſuam dignitatem & patriæ æquitatem retinens, Senatum cum gravi reprehenſione commonefecit, ut ſi humano metu non terrerentur, at ultricem certè fortunam vererentur, quæ in eos animadvertere ſoleat, qui poteſtatibus ſuperbiùs utuntur. Itaque ille in mitiorem datus cuſtodiam fuit, in qua poſt biennium vitam finivit. *Diod. Sic. l.* 31.

Ut aſſumpto imperio Scipio Pompeii ſocer, poſt pugnam Pharſalicam, Uticæ ſtatuit in gratiam Jubæ omnes ſine diſcrimine ætatis interficere, urbemque quaſi cum Cæſare ſentientem exſcindere: non tulit id Cato: verùm præſentes teſtatus, D vociferatuſque in conſilio, & deum fidem implorans, ægrè exemit illos miſeros horum crudelitati: ac partim eis orantibus, partim contendente Scipione, cuſtodiam urbis recepit ut neque volens, neque invita conjungeretur Cæſari. Erat enim locus ille ad omnia opportunus, & affluens obtinentibus: qui multò magis eſt à Catone firmatus. *Plutarch. in Catone.*

Franciſco Foſcaro, duci Venetorum immeritò ducalis dignitas trium ſenatorum præcipuè ambitione abrogata fuit. Ex ducario privatas ſuas ædes repetens, ubi quarto poſt die obiit, ſuos omnes admonuiſſe fertur, ne ullo tempore memores eſſe vellent injuriæ illatæ. *Egnat. l.* 4. *c.* 2.

Sinas Judæus, dux copiarum, Hariadenum Barbaroſſam Tuneti tyrannum à Carolo V. victum, à cæde ſervorum Chriſtianorum cohibuit, & quos ille circumpoſito, & incenſo tormentario pulvere in ergaſtulis concremare volebat: quod id conſilium viro forti, tot victoriis inclyto, regiique diadematis honorem præferenti indignum foret. *Jovius libro* 24.

Precibus, Lachrymis.

Archidamus Ageſilai F. Lacedæmoniorum rex, Phocen- E ſibus, qui Delphicum templum ſpoliarant, auxilia tulit contra Thebanos, corruptus pecunia ſacra à Phocenſium primoribus tum ipſe, tum uxor ejus Denicha. Illud tamen in eo laude dignum, quòd cùm Phocenſes omnem Delphorum militarem ætatem trucidare, liberos & uxores in ſervitutem rapere, ipſam denique urbem funditus evertere in animo haberent, unus tam inſignem cladem deprecatus eſt. *Pauſ. in Lacon.*

Nicias Enguii Siciliæ oppidi civis primarius, fruſtra diſſuadens ſuis defectionem à Pœnis ad Romanos, cùm cives illum Pœnis dedituri eſſent, ſimulata inſania ad M. Marcellum effugit Syracuſas. Poſt multa exinde facinora, & contumelias Enguinorum, cùm omnes Marcellus in vincula dediſſet, ſtatuiſſetque ſumere de iis ſupplicium, aſtitit plenus lachrymarum Nicias. Poſtremò ad genua Marcelli advolutus, & deprecatus pro civibus ſuis eſt, exorſus ab inimicis. Ita fractus ille liberavit omnes: Niciam verò lato agro, muneribuſque amplis donavit. *Ex Poſidonio Philoſopho Plut. in Marcello.*

Victo ad Thermopylas Antiocho, M. Attilius Glabrio F conſul eos, qui cum rege fecerant, Ætolos alios circumſedit, alios regi Macedoniæ Philippo conceſſit ſubjugare: cùmque Heracleam excidiſſet, Naupactum, quam Ætoli tenebant, obſidebat. Miſeratus T. Quintius Flaminius legatus Græcos, tranſmiſit ex Peloponneſo ad conſulem. Ac primùm increpavit eum, quòd victor Philippum ſineret belli præmia rapere, & iræ indulgens, dum non paucæ gentes, & reges à Macedonibus in ditionem redigerentur, ad unam deſideret civitatem. Deinde obſeſſis, ut ex muro Quintium conſpexerunt, implorantibus opem ejus, & manus tendentibus, precantibuſque: nullo in præſentia dato reſponſo, convertit ſe, & lacrymabundus digreſſus eſt. Poſt egit cum Attilio, lenitaque ejus indignatione, impetravit Ætolis inducias, & ſpacium, quo miſſis Romam legatis conditiones leviores peterent. *Plut. in Flaminio.*

Verberibus.

Cùm in Thietmarſia ſub archipræſule Hartuico ſolennia Miſſarum faceret Evermodus Epiſcopus Raceburgenſis, accidit, ut homicidium fieret, Epiſcopus intereà populum erudiens, inter alia de divino præcepto charitatis commonuit, cùm in oratione Dominica poſtulemus dimitti nobis, que- G madmodum & nos dimittimus. Converſus in illum, ad quem occiſi proxima pertinebat injuria, orabat, ut culpam remitteret occiſori. Ubi ille non moveretur, deſcendit ex ambone Pontifex, & ſacris reliquiis in manu geſtatis procidit ad pedes ejus, orans veniam occiſori. Ille per Deum, & quicquid eſt ſanctum jurat, nunquam ſe dimiſſurum. Exurgit Pontifex, & contemnenti benedictionem alapam duriſſimè inflixit. Ille manibus ſtatim conjunctis, veniam conceſſit. Itaque per alapam vir ſanctus dæmonem, qui cor ejus tenebat aſtrictum effugavit. *Crantz. l.* 5. *Vand. c. ult.*

Præmio dato, vel denegato.

Apud Lacedæmonios, ſi dux fortiter dimicaſſet, & cruento marte, magnaque hoſtium clade viciſſet, trophæi loco gallum diis immolabat. Qui verò deditione, & pacto, nec nimiùm cruenta victoria potitus, belli mala vitaſſet, bovem ſacrificabat. Ut ſignificarent, magis dedecere Imperatorem (juxta Periclis ſententiam) conſilio, & aſtu, quàm gladio, & multo ſanguine fuſo victoria potiri. *Alex. l.* 1. *c.* 22.

Apud Roman. contra cives bello victos, quia lugubris vi- H ctoria erat, neque dux imperator cenſebatur, neque ovare, aut triumphare, vel ſupplicationes cuiquam decernere, dum Reſpub. ſtetit, unquam permiſſum fuit. *Alex. ab Alex. l.* 1. *c.* 22.

Exemplo.

☞ *Vide ſub Tit. ſeu Diſcipuli Clementia, Occaſionis præciſione.*

Adeò clementi ingenio Auguſtus fuit, ut ſibi ſimiles amicos omnes optaret. Id patuit, cùm eo apud Vedium Pollionem cœnante, ſervus cryſtallinum vas confregiſſet. Nam domini juſſu murænarum pabulo damnatus, in vivarium perferebatur. Is cùm ducentium manus effugiſſet, ſe ad Auguſti pedes provolvit, id unum petens, ut alio mortis genere periret. Auguſtus ut mortis cauſam, genuſque intellexit, ſolvi ſervum juſſit: virgulaque omnia Pollionis cryſtallina perfregit, vivariaque evertit. *Suetonius, & Dion. & Plinius l.* 9. *cap.* 23.

DISCI-

A Discipuli Clementiæ,
Manſuetudinis. Perpendendo
A Quibus Didicerint.

Per apparitiones.

Cùm Alexander Magnus Hieroſolymis cum exercitu appropinquaret, infeſto multis de cauſis animo, in magnum metum illius urbis populum conjecerat. Quamobrem Jaddus pontifex, poſt longas ad Deum orationes, cùm in ſomnum incidiſſet, Deum vidit dormienti ſibi dicentem: Ne formidaret, ſed Alexandro pontificia amictus veſte ſe offerret. Credidit Jaddus ſomnio, in eumque morem, qui prædictus erat, ornatus ipſe cum aliis ſacerdotibus ſtolatis poſtero die Alexandro occurrit, ut venientem exciperet. Quem Alexander intuitus, ex equo deſcendit: & humi genu innixus, eum adoravit, petitaque omnia conceſſit. Quod cùm Alexandri duces, aliique mirarentur, & illud Alexander animadvertiſſet, dixit: Pridie ejus diei, Deum in ſomnis ſe vidiſſe eo habitu: quo Jaddum viderat amictum, graviter vitæ ſuæ comminantem, ſi quid Judæos offendiſſet. Cui ſomnio cùm fidem non haberet, Jaddo conſpecto in ea veſte, qua amictam Dei effi- B giem viderat, Deum ſe, & non Pontificem coluiſſe. Mirum profectò, duorum diverſorum hominum ſomnia ita conveniſſe. *Fulg. l.* 1. *c.* 5.

Capta Tyana urbe Aſiæ, quæ rebellaverat, Aurelianus Imper. dum ſolus in territorio irarum plenus de evertenda cogitaret, coram oblatum ſibi non ſine magno horrore Apollonium Tyaneum philoſophum vidit, qui diu antè mortuus erat, ſubmonentem: Aureliane, ſi cupis vincere, non eſt quod de civium meorum nece cogites: Aureliane, ſi imperare vis, à cruore innocentium abſtine: Aureliane, clementer te geras, ſi viciſſe cupis. *Cæl. l.* 17. *c.* 13. *A. L. ex Flau. Vopiſco.*

Attila, Hunnorum rex, vaſtans Italiam, cùm Romam invadere conſtituiſſet, à Leone Papa, quem ad eum reconciliandum Valentinianus Auguſtus ablegaverat, placatus eſt. Paulus Diaconus, & Marianus ajunt interrogatum à ſuis, quamobrem admonitionibus, & petitionibus ſacerdotis paruiſſet? reſpondiſſe: Nihil ſe quidem commotum ſacerdotis perſona, quem ne honore quidem aliquo dignaturus fuiſſet: ſed vidiſſe ſe propter illum aſtantem virum ſenem habitu ſacerdotali, forma auguſta venerabilem, gladio evaginato mor- C tem minitantem, niſi ad omnia, quæ Pontifex peteret, fuiſſet obſecutus. *Nauclerus generatione* 16 *Sigeb. anno Chriſti* 454. *Bonfin. Decad.* 1.

Mauricius Imp. qui Gregorium Magnum Pp. perſequebatur, cùm ſolus eſſet in conclavi, vidit monachum ad ſe intrantem, ſtrictoque enſe ferociter minitantem, niſi à Pontificis perſecutione protinus ceſſaret. Eo viſo territus, & veniam à Pontifice petiit, & odium in amicitiam commutavit. Victus eſt igitur Imp. patientia, quem arma vincere non potuiſſent. *Marul. l.* 5. *c.* 1.

Conrado II. Cæſare bellis diverſis diſtento, Longobardi facta conſpiratione jurarunt, ſe nulli Domino niſi ad nutum ſuum omnia gerenti obtemperaturos. Ad hos comprimendos Cæſar Mediolanum, cujus Epiſcopus primas ferè tenebat, obſedit. Verùm cùm inter celebrationem Miſſæ fulgura, & tonitrua ſtupenda fuiſſent exorta, & Bruno Herbipolenſis Epiſcopus, ac alii Ambroſium atrocia Cæſari minitantem in ea aeris intemperie ſibi apparuiſſe dicerent, combuſtis ſuburbiis Imp. receſſit, ann. Dom. 1037. juxta D Contractum, qui Mediolanenſem fuga elapſum rebellaſſe Imperatori, addit. Ann. 1039. *Sigeb.* habet. *Sigon. lib.* 8. *reg. Ital.*

Colomannus, Hungarorum rex, Jaderam Dalmatiæ urbem propter frequentes defectiones incendio perdere ſtatuerat. In ſomnis ei D. Nicolaus Jadrenſium olim Epiſcopus apparuit, eumque ob conceptum animo facinus crinibus correptum, aureo flagello miſerrimè cæcidit, ita ut expergiſcens vibices in corpore videret, & ſentiret. Proinde Jaderam licèt novarum rerum cupidam ſuis moribus vivere permiſit. *Bonfinius l.* 5. *Decad.* 2.

Ab Hoſtibus.

Cn. Pompejus Magnus, cùm Mamertinos, quòd hoſtium partibus adhæſiſſent, interficere omnes ſtatuiſſet: Sthenius, ejus civitatis princeps, Pompejum adiit, & his verbis loquutus eſt: Non æquum facis, Pompei, qui propter me unum noxium, multos innoxios occidere paras. Ea animi magnitudine motus ille Mamertinis pepercit, civitatemque, & Sthenium liberavit. *Plut. in Apopht.*

Capta Roma, ineunti Totilæ Gothorum regi templum, Pelagius diaconus occurrit, Chriſti evangelia in manibus ge- E ſtans, ac genibus poſitis ſupplicabundus: Parce, inquit, ò princeps, tuis. Cui ille cachinnans reſpondit: Nunc mihi demùm ſupplicaturus adveniſti, Pelagi? tum ille: Maximè, inquit, quoniam tuum me ſervum effecit Deus: verùm ab his jam abſtine manus, qui tibi in ſervitutem ceſſere. His percitus vocibus Totilas, militibus edicto ſuis mandavit, ne quem poſthac Romanorum occiderent, atque urbem ita diriperent, ut ſibi precioſiſſima quæque ſervarent. *Sig. l.* 19. *Imp. occid.*

A Brutis.

Leo, Baſilii Macedonis Imp. F. à monacho Theodoro Sandabareno apud patrem inſidiarum cauſa delatus, in carcerem conjectus eſt. Erat Imperatori pſittacus in cavea ſuſpenſa. Hic quodam tempore cùm Imperat. ad convivium Senatores præcipuos vocaſſet, hanc vocem inter edendum ſæpiuſculè edebat: Heu, heu, Domine Leo. Qua voce convivæ triſtiores redditi, cibo, potuque omiſſo cogitabundi aſſederunt. Imperatore cauſam perquirente, illi oculos lachrymis oppleti: Quomodo inquiunt, Imp. cibum capiamus, voce beſtiæ hujus objurgati nos, qui rationis compotes, & dominorum ſtudioſi F credimur? bruta hæc avis Domini ſui nomen invocat: nos luxui dediti, inſontem oblivioni mandamus. His verbis mitigatus Cæſar, Leonem carcere eductum, in conſpectum ſuum admiſit, veſtem lugubrem demiſit, comæ ſuperflua, quæ per luctum creverant, auferri juſſit, dignitatemque Cæſaris priſtinam reddidit. *Cedrenus.*

Jarmericus Danorum rex Broderum F. falsò inceſtus cum Suvaldo noverca inſimulatum ſuſpendio adjudicarat, ita ut laqueo illum innexus, à famulis ſubjectum aſſerem tenentibus ſuſtentaretur, quem ubi illi defatigati remiſiſſent, rei mortis ejus forent, regemque à parricidii crimine liberarent. Interea canis Broderi latratu lamentabili veluti deflere Domini ſupplicium videbatur. Ejuſdemque illatus accipiter altiſſimas plumas roſtro evellere cœpit. Rex omen abacturus orbitatis, præproperè filium laqueo eximi juſſit. Sic ille ſervatus eſt. *Saxo l.* 8. *& Crantz. l.* 2. *Daniæ c.* 17.

Ab Inanimatis.

Diogenes circuibat in Ceramico ſtipem à ſtatuis petens, oſtenditque mirantibus, repulſam ferre medicari ſe. *Plut. de immodica verecundia.* G

Quomodo Ad Clementiam
traducti fuerint. Puta
Religione.

Lacones antequam bellum hoſtibus inferrent. Muſis immolabant, Clementiæque, & Amicitiæ, non Marti. Satiùs enim eſſe putabant, pactione hoſtium animos conciliare, quàm prælii ſubire aleam. *Plut. de Non iraſcendo.*

Philoſophia.

Dion Syracuſanos à tyrannide Dionyſii liberaverat. Illi ingrati, Heraclidis navarchi ſuaſu XXV. prætoribus creatis, Dionem ignominiosè urbe expulerunt. Victi autem à Nypſio Dionyſii duce Dionem denuò ſupplices advocarunt. Ille hoſtes in arcem compulit. Heraclides, & Theodorus ultrò dediderunt ſeſe Dioni, culpam fatentes, pœnam deprecantes. At amici monuerunt illum, ne improbis hominibus parceret, ſed Heraclidem permitteret militibus, atque è repub. ambitionem popularem extirparet, morbum tyrannide non minùs væſanum. Quos placans Dion, demonſtravit, cæteros H duces plurimùm ponere meditationis in armis, & bello: ſi verò longo tempore in Academia iram commentatum, invidiamque, & æmulationem omnem vincere. Ejus eſſe documentum non in animos, & bonos moderationem, verùm ſi injuriam inferentibus placabilis, & in peccantes ſis lenis. Ergo ut non tam opibus, & prudentia, quàm clementia, & juſtitia ſuperare videretur: Heraclidem, & Theodorum miſſos fecit. *Plut. in Dione.*

Conſilio, Perſuaſione.

Joannes Comnenus Imp. Alexii F. conjuratos bonis tantum mulctavit, humanitatem ab ipſa conjurationis principe, Anna Cæſariſſa, ſorore ſua Bryennii (in quem transferre regnum conabatur) uxore auſpicatus. Cùm omnis generis opes in domo Bryennii congeſtas ſpectaret, naturæ ordinem inverſum eſſe queſtus, quòd cognatos hoſtes, alienos amicos habuiſſet: etiam opes ad amicos tranſire oportere dixit: & omnia magnum domeſticum Joannem Axuchum, natione

 Perſam,